AUTHOR:

SCHMIDT, FRIEDRICH WILHELM

TITLE:

DE UBERTATE ORATIONIS...

PLACE:

NEU-STRELITZ

DATE:

[1862]

Master Negative #

92-80479-10

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Schmidt, Friedrich Wilhelm,
...De ubertate orationis Sophocleae, pars altera, scr. Fr.Guil. Schmidt...Neu-Strelitz, Hellwig, [1862
35 p. 25½ cm.

At head of title: Zu der öffentlichen prüfung welche...1862 in dem Gymnasium Carolinum und in der Elementar-schule veranstaltet werden wird ladet... ein Dr.F.W.Schmidt...

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 03.12.1992 INITIALS Emilian
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

Zu der

öffentlichen Prüfung

welche

am 10. und 11. April 1862

in dem Gymnasium Carolinum

und

in der Elementar-Schule

veranstaltet werden wird,

ladet ehrerbietigst und ergebenst ein

Dr. F. W. Schmidt

Schulrath.

Inhalt:

1. De ubertate orationis Sophocleae. Pars altera. Scr. *Fr. Guil. Schmidt*, ph. dr.
2. Schulnachrichten, von *demselben*.

Neu-Strelitz.
Druck der Hofbuchdruckerei und Lith. Anstalt von H. Hellwig.

De ubertate orationis Sophocleae.

Pars altera.*

Quoniam abhinc septem annos de ubertate orationis Sophocleae exorsus sum disputare, ne inchoata ea relinquam nactus nunc scribendi opportunitatem absolvere conabor, quantum per angustos, quibus circumscribi hi libelli solent, cancellos mihi licuerit. Atque cum ita illam disputationem instituissem, ut universa Sophocleae ubertatis ratione descripta quatuor deinceps capitibus *de ubertate et gravitate notionis in aliquot verbis conspicua, de redundantia in vocabulis compositis non inani, de vocabulis praeter necessitatem uti videretur sententiae adiectis, deque circumlocutionis generibus* copiosius exponerem: restat nunc, ut *de amplificandae orationis formis* hoc loco disputem. Ad hunc autem locum disputatione deducta nostra, in campum descendimus latissime patentem, in quo difficile est ita versari, ut quae se offerunt scribenti atque occurrunt, suo loco omnia tractentur. Aptissime autem totum de amplificatione orationis locum ita mihi videor persequi, ut primum de duobus vocabulis eiusdem fere significationis dicam, vel cum gravitate unius notionis consociatis, vel ita coniunctis, ut alterum altero amplificetur, deinde ad cetera amplificationis genera transeam. Quae quidem ita tractabo, ut primum de vocabulis dicam ἐκ παραλλήλου ut aiunt positis, deinde de pronominibus cum vi repetitis, tum de participiis eiusdem originis verbis finitis adiectis, tum de ea ratione, qua quae affirmata sunt eadem negatione contrarii confirmantur iterum atque gravius, post de ubertate illa orationis, quae efficitur sententiis explicandi causa appositis, postremo de frequentatione verborum idem fere significantium.

Cap. V. De duobus vocabulis eiusdem fere significationis vel cum gravitate unius notionis consociatis, vel ita coniunctis, ut alterum altero amplificetur.

Huius ubertatis duo potissimum genera distinguenda sunt. Aut s i m p l i c i a enim vocabula cum nominibus verbisque eiusdem fere significationis solent consociari, ut eorum notiones certa quadam ratione explicentur atque amplificentur, aut vocabulum, quod alteri adiicitur gravitatis ac sublimitatis causa, cum voce idem fere valente est c o p u l a t u m. Quantum a pleonasmis ea distent, cum exempla ipsa aperto sunt documento, tum diligentiore sententiarum inquisitione facile cognoscitur.

1. Quamquam Tr. 282. mortui simpliciter vocantur *Ἅιδου οἰκήτορες*, tamen redundantiam non debemus eorum statuere, quae copia quadam verborum illos Orci cives accuratius significant exstinctos, ut Tr. 1161: *Ἅιδου φθίμενος οἰκήτωρ*. Ai. 517: *Ἅιδου θανάσιμοι οἰκήτορες* (cf. *Wund.* ad h. l.), quibusque inferorum loca describuntur Oed. C. 1576: *νερτέρας νεκρῶν πλάκας*, cf. Ant. 25. Neque quod *βεβηκέναι* (Phryn. fr. 9. Eur.

* In *Aeschyli* locis citandis, quos *Hermann.* constituit numeros secutus sum, in *Euripidis* autem locis significandis accommodavi me ad edit. Teubn. ab *A. Nauckio* adornatam. *Eiusdem fragmentorum* editione usus sum.

Andr. 1027. Or. 971. Alc. 392. *Wund.* ad Phil. 488.). et οἴχεσθαι (El. 809. 1151. Ai. 896. Ant. 807. Aesch. Cho. 626. 763. Ag. 635. Pers. 251. 541. 896. Plat. Phaed. p. 118. A. Xen. Cyr. VII., 3. 8. cf. *Bergler.* ad Alciphr. I., 232. *Garcke.* Quaestt. de Graec. Horat. P. I. p. 29.) dicuntur ii. qui e vita excesserunt. ex eo efficitur. ut οἴχεται θανών (Ai. 999. Ph. 414. Eur. Tro. 395.) in pleonasmos referre cogamur. Immo vero. cum rei tristitiam verbi lenitate, uti nostri facere solent. mitigare veteres solerent. eoque studio perducti verba illa ad mortem transferrent.[1] ad propriam suam vim propius ea accedere iudicanda sunt, cum moriendi verbo adiuncta leguntur. In hac re viam quodam modo aperit Homeri illud ᾤχετο δ' εἰς Ἀΐδαο (Il. 22, 213. 23. 101.). et Soph. El. 834: οἰχομένων εἰς Ἀΐδαν. Eur. Ph. 1055: ἐπὶ θάνατον οἴχεται. Fr. Adesp. 424: ἔζης ἄρ' οὐδὲ γῆς ἔνερθ' ᾤχου θανών; cf. Eur. Hipp. 878: ὀλόμενος οἴχομαι. Itaque ambiguitati orationis imprimis οἴχεσθαι convenit, ut Ai. 743: οἴχεταί τοι πρὸς τὸ κέρδιστον τραπείς. Qua disputatione omni pleonasmi nota liberatur Teucri illud Ai. 989: τοῖς θανοῦσί τοι φιλοῦσι πάντες κειμένοις ἐπεγγελᾶν (cf. Xen. Cyr. VII., 3. 8.). cum praesertim non sine gravitate inermis mortuorum imbecillitas significetur: notum est autem. mortuorum prostrata corpora κείμενα appellari; cf. Hom. Od. 22. 48. Soph. Ant. 1174. Ai. 1059: θανόντες ἂν προὐκείμεθ' αἰσχίστῳ μόρῳ. *Ellendt.* L. S. v. κεῖσθαι. *Pflugk.* ad Eur. Hec. 210. Jam vero quae Homero (Od. 11, 37. 490.) iam usurpatae. postea frequentatae sunt locutiones: νεκροὶ ὀλωλότες (Eur. Suppl. 16. 558.), νέκυς ὀλόμενος (Phoen. 1295.), θανόντων σώματα νεκρῶν (Tro. 91.), de quibus cf. Eust. p. 1074. 23 sq. *Wex.* ad Ant. 513., de pleonasmis eas eximere, difficile profecto videtur. Prope enervata autem sensim vis vocis νέκυς. Apud Sophoclem duobus locis hac verborum copia Antigona utitur idque ita. ut animi commotio, qua afflicta dicat, ubertatisque illius ratio facile sentiatur: Ant. 26: τὸν δ' ἀθλίως θανόντα Πολυνείκους νέκυν, quo loco redundantiae species adverbio quod accedit prope obscuratur; atque Ant. 515. ubi impiae regis sententiae Antigona respondet: οὐ μαρτυρήσει ταῦθ' ὁ κατθανὼν νέκυς· quo loco. cum de sepultura agatur hominis mortui. hoc opinor gravius affirmat Antigona. mortuum Eteoclem in ipsa iam morte fratri vix ea invisurum esse. quae mortuis debeantur omnibus. Exstat tertius locus. qui tamen in hunc numerum non adscribendus est: Ant. 467: ἀλλ' ἂν εἰ τὸν ἐξ ἐμῆς μητρὸς θανόντ' ἄθαπτον ἐσχόμην (vel e coni. Wolffii: ἄταφον ἀνεσχόμην) νέκυν. Est enim hoc loco θανόντα i. q. post mortem.[2] — Eiusdem generis Herculis verba sunt Tr. 1256: παῦλά τοι κακῶν αὕτη

[1]) Non aliter scriptores Latini pro mori saepius dicunt excedere (Tac. Agr. 44.), decedere (Caes. b. g. VI., 19. Cic. ad Att. I., 6, 2. Plin. Ep. III., 21, 1.) al. cf. *Seyff.* ad Cic. Lael. p. 49.

[2]) Hanc ipsam vocem delevit nuper *Meinekius* (Beitr. zur phil. Krit. d. Ant. p. 12.), qui scribendum putat: ἀλλ' ἄν, εἰ τὸν ἐκ μιᾶς μητρὸς πατρός τ' ἄθαπτον cl. v. 513: ὅμαιμος ἐκ μιᾶς τε καὶ ταὐτοῦ πατρός, offendens nimirum pariter ac *Nauckius* cum in proxime illis positis: τὸν ἐξ ἐμῆς μητρὸς θανόντα, quasi de filio ab ipsa matre necato possit cogitari, tum in inepta scilicet filii significatione. At vero quod praestabilius ducit, multo id mihi videtur esse languidius, itemque sententiae vis debilitatur Nauckii coniectura: τὸν ἐξ ἐμῆς μητρὸς πατρός τε, quae verba cum gravitate hoc loco coniungi, vix ille efficiet. Longe aliter enim res se habet Ant. 513., quo loco uterque ad stabiliendam suam coniecturam utitur; huius enim orationis gravitas nata quasi est ex studio virginis id affirmandi, quod acerbe Creon interrogavit: οὔκουν ὅμαιμος χὠ καταντίον θανών; item v. 145: πλὴν τοῖν στυγεροῖν, ὣ πατρὸς ἑνὸς μητρός τε μιᾶς φύντε καθ' αὑτοῖν δικρατεῖς λόγχας στήσαντ' ἔχετον κοινοῦ θανάτου μέρος ἄμφω quasi pleniore ore aptissime chorus effert facinoris atrocitatem. Deinde ea est etiam locorum dissimilitudo, ut quae ad orationis gravitatem multum valet repetitio adiectivorum, quam ne Plato quidem Legg. I., p. 627. C. omisit, desit ea in Nauckii Meinekiique coniecturis. Aptius certe Meinekius poterat afferre El. 325: τὴν σὴν ὅμαιμον ἐκ πατρὸς ταὐτοῦ φύσιν Χρυσόθεμιν ἔκ τε μητρός, quamquam hoc quoque loco praepositionis repetitio vim verborum auget. Sed multo gravius multoque ad incitatum Antigonae animum accommodatius illud est: τὸν ἐξ ἐμῆς μητρός. Intelligitur enim facillime, τὸν ἐκ μιᾶς μητρός nihil indicare nisi communionem sanguinis, illis contra contineri quasi summam piae filiae sororisque caritatem; cum suae enim matris filium dicat, quadam amoris significatione dulcem matris memoriam prosequitur, in qua pietate positam sentit omnem suam in fratrem pietatem. Quid vero dicam de ambiguitate ista? quam prohibere recitantis erat histrionis. Ac ne quis

τελευτὴ τοῦδε τἀνδρὸς ὑστάτη, quae cum propter inauditum scilicet pleonasmum *Wunder.* Emend. in Trach. p. 158 sq. in suspitionem vocasset. in Ann. phil. et paed. Suppl. XVII. p. 289. satis mihi videor defendisse. Non commemorabo similia ubertatis exempla apud scriptores Latinos reperiri. ut *ultima mors* apud Hor. Sat. I., 7. 13., de quibus si tanti est cf. *Bentl.* ad Hor. Ep. II., 2. 173., *Schmid.* ad Ep. II., 1. 12., *Bach.* ad Ov. Met. III., 137., a quo genere distant aliquantum haec: Si quibus unquam *extrema* iam ipsa in *morte* tulistis opem (*Catull.* 76. 18.), et: His se. quando ultima cernunt. *extrema* iam in *morte* parant defendere telis (*Verg.* Aen. II., 447.). h. e. in ultimo et extremo mortis discrimine: vel *Eur.* Andr. 1081: ἐσχάτοις πρὸς τέρμασιν. vel *Caes.* b. g. V., 26: *initium* repentini tumultus ac defectionis *ortum* est ab Ambiorige., *Auct. ad Her.* I., 9. 14: si non ab *ultimo initio* repetere volemus: de quibus exposuerunt *Wopkens.* Lectt. Tull. p. 357. ed. H. et *Drakenb.* ad Liv. 37. 53. 8. 6. 12. 10. Qui Sophoclis vero verba diligentius expenderit. facile sentiet iustam ubertatis rationem. Manifestum est enim, Herculem non sine acerbitate oraculum respicere. quod de laborum exitu olim acceperit: atque quem speraverit *miseriarum* fore exitum. exitum sibi evenisse ait *supremum.* vitae ipsius exitum: cf. v. 1171 sqq. Infirmatur igitur sententiae gravitas inutili *Bergkii* (Ann. ph. et paed. Vol. 61. p. 246.) coniectura: αὕτη κέλευθος. — Illo quem supra dixi loco de Ant. 24: σὺν δίκῃ δικαίᾳ quoque disputavi. eamque locutionem ut firmarem attuli Ant. 502: κλέος εὐκλεέστερον. Plat. Symp. p. 208. D.: δόξης εὐκλεοῦς.[3] — In eodem genere est. quamquam adiectivum est copulatum, Fr. 726, 3: οὐδ' ὡς ὁ Τυδεὺς ἀνδρὸς αἷμα συγγενὲς κτείνας. si recte se verba habent. ac non pro eo. quod sane audacius translatum videtur. cum κτείνειν accedat, ΑΝΔΡΟΣΑΙΜΑ corrigendum est: ΑΝΔΡΟΣΟΜΜΑ h. e. ἀνδρὸς ὄμμα. — Deinde O.C. 1012: ἀρωγοὺς ξυμμάχους, quae leguntur etiam Rhes. 637. cf. O.R. 135: σύμμαχον-τιμωροῦντα. Addo Ant. 111., ubi chorus dicit: ἀρθεὶς νεικέων ἐξ ἀμφιλόγων ὀξέα κλάζων, quae quidem non integra esse antistrophae numeri demonstrant. Quid vero

miretur, matris Antigonam meminisse, ac non patris: de matre potissimum virginem filiam recordari consentaneum est, nec sine aliqua acerbitate eam videtur nominare, quae ipsius Creontis soror est. De particula ἂν denique repetita, quae item Nauckio displicuit, non opus est disputare, praesertim cum ipse Meinekius ab illius dubitatione eam tueatur. Hoc addo, vel propterea non licere suo loco eiici θανόντα, quod quae de fratris morte mortuique sepultura Antigona dicit, ea coniuncta aperte sunt cum superioribus, ubi suam sese mortem minime pertimescere asseverat illa firmissime. Quae nos autem hodie legimus, eadem olim legit Eustath. p. 529. 18. —

[3]) Huius loci difficultates neque ab interpretibus motas, neque a *Klotzio* (Ann. ph. et paed. Vol. 21. p. 159.) dissipatas dicere debebat *Diller.* de consensu notion. etc. Mis. 1842. p. 25. Klotzii enim interpretatio violenta est atque impedita; nec probabile, quod eidem videbatur, Creontem nihil aliud nisi non repugnasse Eteocli sepulturae: cf. Ant. 193 sqq. Consentio autem facile, neque deleri versum alterutrum neque mutilari eos debere, id quod plerique huius loci existimatores hodie statuunt, velut *Wund., Bergk., Kolster.* (Phil. V. p. 224.), *Kayser.* (Ann. phil. Vol. 69. p. 496.), *Schneidew., Jacob., Hartung., Meinekius.* Summa vero difficultas posita est in verbo χρησθείς, quod et forma et constructione et sententia vitiosum apparet; contra ὡς λέγουσι ineptum non videtur esse, uti putant Kolster. et Schneidew. Quid enim de vv. 7. 27. 31. faciendum? Deinde quid homines de fratribus sentiant, Antigonae quidem nihil interest, at ne exprimitur quidem verbo illo populi iudicium. Immo referre homines dicuntur. et quid decreverit Creon, et quibus rationibus ductus decreverit. Quod si verum est. verba δίκῃ δικαίᾳ καὶ νόμῳ Creontis prodere animum ac sententiam, Antigonam nimia quadam illius gratia Eteocli sepulturam laudare, non potest dici. Iusto autem maiore, si cum Polynice contuleris, honore illum ornatum ab Creonte iudicare Antigonam. intelligitur id si quaerimus e verbo προτίσας. Quae cum ita sint, nihil profecto relinquitur. nisi ut χρησθείς emendetur. Quod vero *Nauck.* (Ann. phil. Vol. 65. p. 238.), schol. verbis, uti videtur, inductus proposuit: κρίσει, id cum consociari soleant δίκη καὶ νόμος (cf. Eur. Med. 537. Tro. 284. *Lobeck.* Paral. p. 535.), importune interpositum non possum non dicere; deinde dubito num aptum sit, κρίσιν illam verbo nimis praedicare. Nec probabiles sunt ceterae quae prolatae sunt coniecturae, de quibus breviter sed ita. ut assentiendum ei in plerisque sit, disputavit *Bonitz.* Beitr. z. Erkl. des Soph. II. p. 60 sq. Quod dubitanter proposuit nuper *Meinek.* l. l. p. 3. πεισθείς, idem iam pridem invenit *Henneberger.* (de corrupt. aliquot locis Soph. Meining. 1849. p. 12.). Admirabile vero quod excogitavit nuper *Furtwaengler* (Phil. XV. p. 700. : σύνδικον χρηστοῖς δίκῃ τε καὶ νόμῳ, quod quam ineptum sit, neminem opinor fugiet. Mihi ne nunc quidem displicet emendatio illa, quam l. l. olim proposui: σὺν δίκῃ χρηστοῖς δικαίᾳ κτλ. i. e. iure bonis consentaneo; cf. Ant. 197. et 520; δίκῃ δικαίᾳ igitur contraria est δίκῃ ἀδίκῳ, quam Creon statuit, si quis humandum duxerit Polynicem. —

interciderit, non liquet; alii aliter explere lacunam studuerunt. Expromam mea: suspicor enim, cum verbum desideretur, unde ὃν(στρατόν) pendeat, literarum quadam similitudine factum antiquitus esse, ut participium ἀρθείς suo quasi loco moveret aoristum ὦρσεν, quod idem *Martinum* quoque invenisse video, atque ut inter κλάζων et αἰετός intercideret: ΔΑΡΗ. Scribendum igitur:

ὃν ἐφ᾽ ἁμετέρᾳ γᾷ Πολυνείκης
ὦρσεν νεικέων ἐξ ἀμφιλόγων
ἀρθείς, ὀξέα κλάζων δ᾽ Ἄρη
αἰετὸς εἰς γᾶν ὣς ὑπερέπτα.

Quod Ἄρη adieci, producta nimirum syllaba priore (cf. Ellendt. L. S. I. p. 225.), dubitanter feci, nec tamen inepte opinor: cf. Aesch. Ag. 47: μέγαν ἐκ θυμοῦ κλάζοντες Ἄρη τρόπον αἰγυπιῶν. — Uti hic autem ἀμφίλογα νείκη, sic Eur. Ph. 500: ἀμφίλεκτος ἔρις. — Pleonasmo similiora sunt Aeschylea illa: μακρὸν μῆκος (Prom. 1024.), πελαγίαν ἅλα (Pers. 422. 462.). cf. S. Ant. 966. Eur. Tro. 88., et νηνέμου γαλάνας (Ag. 712.): item redundat quod *Eur.* habet Iph. A. 1287: μόρος θανατόεις. Cf. *Lob.* ad Ai. p. 133 sq. Phryn. p. 754. Paral. p. 535. — Quibus addo notissimum ubertatis genus, quod *Monk.* ad Eur. Hipp. 624. et *Lobeck.* ad Ai. 1296. tetigerunt: ὁ γεννήσας πατήρ, ἡ τεκοῦσα μήτηρ. Cum gravitate usurpari eae solent locutiones, ut quae inter liberos parentesque intercedat condicio, quaeque eos teneant artissima officii, amoris, pietatis vincula significentur eorumque cogitatione animi audientium feriantur. Quod quidem ut exemplo ad rem perquam accommodato demonstrem, affero Dem. in Mid. §. 41. c.: ἡ μὲν γὰρ ὡς ἀληθῶς μήτηρ ἡ τεκοῦσα αὐτὸν πλεῖστον ἁπάντων ἀνθρώπων εἶχε νοῦν, ἡ δὲ δοκοῦσα καὶ ὑποβαλομένη πασῶν ἦν ἀνοητοτάτη γυναικῶν. Quibus addere iuvat S. Trach. 1268 sq.: οἳ φύσαντες καὶ κληζόμενοι πατέρες κτλ. Nec iusta verbi vis desideratur Aesch. Eum. 728: μήτηρ γὰρ οὔτις ἐστὶν ἥ μ᾽ ἐγείνατο. Atque quem ad modum, quae patriae debeantur, Tiresiam Oedipus graviter monet O.R. 323: οὔτ᾽ ἔννομ᾽ εἶπας, οὔτε προσφιλῆ πόλει τῇδ᾽, ἥ σ᾽ ἔθρεψεν[4]) (cf. Eur. Ph. 996.): sic Antigona patrem, ne pietatis immemor in filium peccet, his monet verbis gravissimis O.C. 1189: ἔφυσας αὐτόν. Neque propriam huius ubertatis gravitatem Sophocles nisi uno loco usquam neglexit. De Fr. 795: Ἀλφεσσίβοιαν ἣν ὁ γεννήσας πατήρ, enim et de Fr. 715: προσῆλθε μητρὶ καὶ φυταλμίῳ πατρί, cum mutilae sint sententiae, diiudicari nequit. Solet autem hoc ubertatis genus eo potissimum pertinere, ut quae contra opinionem a liberis parentibusque facinora committantur, clarius ea emineant. Itaque locutiones illae saepenumero ita adhibentur, ut parricidii atrocitas verborum gravitate augeatur, ut O.R. 793: φονεὺς δ᾽

[4]) Offenderunt in hoc loco et *Schneidew.* et *Nauck.*, qui ἔμφρονα pro ἔννομα scribendum esse suspicatur: inepte enim Oedipum de edicto suo violato dicere, quem non tam sui cupiditate oporteat quam utilitate communi impelli; neque congruere orationem regis iis quae dixerit Tiresias. At subtilius videntur quam rectius de hac sententia disputasse. Etsi enim ab omni sui ipsius cupiditate Oedipus alienus non est, uti apparet ex v. 139: ὅστις γὰρ ἦν ἐκεῖνον ὁ κτανών, τάχ᾽ ἂν κἄμ᾽ ἂν τοιαύτῃ χειρὶ τιμωρεῖν θέλοι, hoc tamen loco ista cupiditas minime cernitur. Οὐκ ἔννομον enim cum dicat Tiresiae orationem, non de sua cupide cogitat utilitate, sed de salute civitatis, ad quam omnia sua consilia refert, quamque sentit cum sua salute esse coniunctam; cf. v. 60—64. 312: ῥῦσαι σεαυτὸν καὶ πόλιν, ῥῦσαι δ᾽ ἐμέ· v. 331., imprimis v. 340: κλύων, ἃ νῦν σὺ τήνδ᾽ ἀτιμάζεις πόλιν. Hoc igitur dicit: et delinquis (in civitatem), edicto non obsecutus, neque amantem te praestas patriae tuae parentis: si non legum obtemperatio, quae bonum civem decet, at patriae caritas sic loqui prohibere te debet. Violare igitur dicitur Tiresias, si quaerimus, et νόμον et δίκην. Apparet autem ex ipsa orationis forma, impietatis crimen ut gravius a rege efferri. Deinde quod parum attendit animum ad ea, quae obscurius Tiresias dixit, facit suo more Oedipus. Is enim, qui de se ipse praedicat v. 291: πάντα γὰρ σκοπῶ λόγον, mente occaecata identidem securus negligit, quae ille significavit, velut v. 330. 334 sq. 360, ubi Tiresiae verbis: οὐχὶ ξυνῆκας πρόσθεν; ἢ ἐκπειρᾷ λέγειν; [quo loco nescio an scribendum potius sit: ἢ πέρα λέγω; cf. v. 343.] respondet: οὐχ ὥστε γ᾽ εἰπεῖν γνωστόν. —

ἐσοίμην τοῦ φυτεύσαντος πατρός. 827: πατέρα κατακτανεῖν Πόλυβον ὃς ἐξέθρεψε κἀξέφυσέ με, quem versum primum se „uncis inclusisse“ *Wunderus* dicit.[5]) Plura exempla suppeditant Euripidis tragoediae, ut Med. 1349: οὐ παῖδας, οὓς ἔφυσα κἀξεθρεψάμην, ἔξω προσειπεῖν ζῶντας, ἀλλ᾽ ἀπώλεσα. Herc. f. 1367: ὁ φύσας χὠ τεκὼν ὑμᾶς πατὴρ ἀπώλεσε. Or. 1491: ἐπὶ φόνῳ χαμαιπετεῖ ματρός, ἅ νιν ἔτεκεν τλάμων. Iph. A. 872: παῖδα σὴν πατὴρ ὁ φύσας αὐτόχειρ μέλλει κτανεῖν. 1177: ἀπώλεσέν σ᾽, ὦ τέκνον, ὁ φυτεύσας πατήρ. Iph. T. 360: ἔσφαζον, ἱερεὺς δ᾽ ἦν ὁ γεννήσας πατήρ. El. 1182: διὰ πυρὸς ἔμολον ἁ τάλαινα ματρὶ τᾷδ᾽, ἅ μ᾽ ἔτικτε κούραν. 1185: ἰὼ τύχας-μᾶτερ τεκοῦσ᾽ ἄλαστα μέλεα καὶ πέρα παθοῦσα σῶν τέκνων ὕπαι. 1211: ἠΐον κλύων γόον ματρός, ἅ σ᾽ ἔτικτεν. Phoen. 1600: ὁ σπείρας πατὴρ κτείνει με. Fr. adesp. 290: σὺ δ᾽ αὐτόχειρ γε μητρὸς ἥ σ᾽ ἐγείνατο. Eur. Iph. T. 556: παῖς νιν, ὃν ἔτεχ᾽, οὗτος ὤλεσεν. Med. 1280: ἅτις τέκνων ὃν ἔτεκες ἄροτον αὐτόχειρι μοίρᾳ κτενεῖς. Soph. fr. 806: παῖδας γὰρ οὓς ἔφυσ᾽ ἀναλώσας ἔχει. Eodem in genere est S. El. 1412: ἀλλ᾽ οὐκ ἐκ σέθεν ᾠκτείρεθ᾽ οὗτος, οὐθ᾽ ὁ γεννήσας πατήρ, ubi exspectaveris: αὐτὸς ὁ πόσις σου. At in hac causa vehementissime concitata Electra de suo maxime dolore suique patris atroci interitu cogitat, matrem admonens acerbe, quam nefarie suo scelere in liberos etiam peccaverit. Non aliter, cum plene dicat Hyllus Tr. 739: τὸν ἄνδρα τὸν σὸν ἴσθι, τὸν δ᾽ ἐμὸν λέγω πατέρα κατακτείνασα τῇδ᾽ ἐν ἡμέρᾳ, Electra brevius matrem his increpat verbis El. 558: πατέρα φῂς κτεῖναι; cf. Ib. 588: ἥτις ξυνεύδεις τῷ παλαμναίῳ, μεθ᾽ οὗ πατέρα τὸν ἀμὸν πρόσθεν ἐξαπώλεσας, καὶ παιδοποιεῖς, quem versum cur Sophocle indignum ducat *Wunder*. (Emend. in Trach. p. 16.), cum pollicitus sit, nondum tamen quod sciam planum fecit. Manifestum est autem, Electram propterea de patris caede quadam verborum copia matrem obiurgare, ut magis appareat, quam ea detestabile in se scelus admiserit, quae quidem cum in maritum tum in liberos et caede carissimi patris et eo peccaverit, quod ex nefario isto homine non solum liberos pariat, sed ex priore eoque iusto ac legitimo matrimonio susceptos male etiam habeat. Addo Tr. 1125:

[5]) Quod Oedipus Polybi nomen ipsum profert, nolo equidem versu 956. defendere: πατέρα τὸν σὸν ἀγγελῶν ὡς οὐκ ἔτ᾽ ὄντα Πόλυβον, ἀλλ᾽ ὀλωλότα, cum hoc loco nominis mentio nuncii diligentiae conveniat: quamquam quod Iocasta eius verba refert, malitioso hoc fortunae ludibrio audientes fieri non potest quin vehementius commoveantur. In ipsa rerum condicione causa sita est, qua ductus v. 827. Polybi nomen poeta adiecerit. Oedipus enim metu perculsus, ne ipse Laii interfector deprehendatur sibique tristissima ipse precatus sit, eo potissimum magis iam perterretur, quod fati vinculis, quae vix effugisse sibi visus sit, denuo obstricto atrocioris sceleris committendi via sibi sit patefacta. Neque vero, quamquam a Tiresia obscurius monitus, eo iam perducitur, ut Laium, quem se necasse suspicatur, patrem habeat. Immo occaecatus animo Polybum distincte patrem appellat, huiusque ne contaminetur parricidio, maxime metuit. Quae quidem, qua Oedipus captus est, mentis caecitas et acerba ipsius, quam nequaquam animo praesagit, fortuna ut eluceat atque exstet, animosque percutiat audientium, qui metu eius, ne sit Laii interfector, cognito facile eo adducuntur, ut penitus perspexisse Oedipum credant calamitatis atrocitatem: haec inquam causa videtur esse, qua perductus poeta Oedipum fecerit Polybi patris nomen ipsum appellantem. Cui animi perturbationi vehementissimae cum maxime consentanea est orationis illa ubertas: πατέρα . . ὃς ἐξέθρεψε κἀξέφυσέ με, quasi vero Oedipus ad eos qui audiunt de mentis suae caecitate edocendos opinionemque eorum confirmandam verborum copia satiari non possit. Atque hunc etiam verborum ordinem, qui est in libris mss. nonnullis, de industria a poeta selectum arbitror; cf. Eur. El. 969: ἥ μ᾽ ἔθρεψε κἄτεκεν. Hec. 762: τοῦτόν ποτ᾽ ἔτεκον κἄφερον ζώνης ὕπο. Suppl. 919: δυστυχῆ σ᾽ ἔτρεφον, ἔφερον ὑφ᾽ ἥπατος. Med. 1029 sqq.: ἄλλως ἄρ᾽ ὑμᾶς, ὦ τέκν᾽, ἐξεθρεψάμην, ἄλλως δ᾽ ἐμόχθουν καὶ κατεξάνθην πόνοις, στερρὰς ἐνεγκοῦσ᾽ ἐν τόκοις ἀλγηδόνας, quae fere repetuntur Tro. 759 sq. Herc. f. 281: πῶς γὰρ οὐ φιλῶ ἅτικτον, ἀμόχθησα. Hom. Od. 12, 134: τὰς μὲν ἄρα θρέψασα τεκοῦσά τε πότνια μήτηρ. 14, 201: ἠμὲν τράφεν ἠδ᾽ ἐγένοντο. Cf. *Erfurdt* ad O.R. 827. *Naegelsb.* ad Il. I, 251. *Kuehn.* ad Xen. Mem. III. § 10. *Nitzsch.* ad Od. IV, 208. *Jacob.* de usu num. plur. Numb. 1841. p. 35. Iam vero *Hermannus*, „si vera haec est, inquit, scriptura, non quod exquisitior sit praeferenda videtur, sed quod valde usitata.“ Immo exquisitior est iusto illo verborum ordine, qui invenitur saepius ut Hom. Od. 23, 325. Eur. Med. 1349: οὐ παῖδας, οὓς ἔφυσα κἀξεθρεψάμην. Ea enim huius figurae solet vis esse, ut prioris vocabuli gravitas imprimis augeatur, nonnunquam vero etiam, ut gradatio quaedam efficiatur; cf. *Bremi* et *Jacobs.* ad Isocr. Paneg. §. 25. Eur. Heracl. 826: τῇ δὲ βοσκούσῃ χθονὶ καὶ τῇ τεκούσῃ. Hoc autem loco ἐξέθρεψε praepositum eo spectat, ut Oedipus diro fati ludibrio agitatus, qua quidem necessitate Polybum vere attingat, invitus non sine vi pronunciet.

ὦ παγκάκιστε καὶ παρεμνήσω γὰρ αὖ τῆς πατροφόντου μητρός. El 779: ἐγκαλῶν δέ μοι φόνους πατρῴους δείν᾽ ἐπηπείλει τελεῖν. Ib. 955: τὸν αὐτόχειρα πατρῴου φόνου. Conferre iuvat etiam illud Clytaemnestrae El. 544: ἢ τῷ πανώλει πατρὶ τῶν μὲν ἐξ ἐμοῦ παίδων πόθος παρεῖτο, et O.R. 1209: ᾧ μέγας λιμὴν αὐτὸς ἤρκεσεν παιδὶ καὶ πατρὶ θαλαμηπόλῳ πεσεῖν. Eur. Tro. 481. ubi Hecuba de liberis suis conquesta τὸν φυτουργὸν Πρίαμον appellat. Quae si *Hermannus* reputasset et *Wolffius* (de schol. Laur. p. 249.). vix opinor coniecturis tentasset uterque Teucri verba Ai. 1296: ἐφ᾽ ᾗ λαβὼν ἐπακτὸν ἄνδρ᾽ ὁ φιτύσας πατὴρ ἐφῆκεν κτλ., cuius loci sententiam diligenter *Wunder*. explanavit. Offenderunt autem illi in voce πατήρ, tanquam sententiae non conveniente. in eiusque locum substituerunt alter σ᾽ Ἀτρεύς, alter σ᾽ ἀνήρ, quae quidem vox *Schneidewino* (Philol. IV. p. 475.) incredibili quadam acerbitate Teucri orationem ornare videbatur. At quaesita ista et aculeata concinnitas artis Euripideae potius videtur esse quam Sophocleae dignitatis: deinde acerbitati illi ne convenit quidem vocabulum ἀνήρ, cum ἀνδρί, qui muliere fruatur, (cf. Eur. Hipp. 491. *Wuestem.* ad Theocr. Id. 30, 20.). contrarius sit πόσις, vir legitimus; cf. Tr. 550: φοβοῦμαι. μὴ πόσις μὲν Ἡρακλῆς ἐμὸς καλεῖται, τῆς νεωτέρας δ᾽ ἀνήρ. Eur. Andr. 469: μίαν μοι στεργέτω πόσις γάμοις ἀκοινώνητον ἀνδρὸς εὐνάν. Atque ut ἀνήρ apte opponatur ἀνδρὶ ἐπακτῷ, non congruit attributum φιτύσας: nemo utique poeta tragicus dixit unquam ὁ φιτύσας σ᾽ ἀνήρ. Sententiae morique dicendi minus quidem repugnat *Hermanni* coniectura. sed concesso. quod concedere subdubito, repetiti nominis satis idoneam indagari rationem, librorum scriptura multo eam languidiorem non possum non appellare. Ὁ φιτύσας πατήρ enim poeta consulto posuit, ut et quantum esset Atrei facinus clarius eluceret, qui ne sui quidem filii matri pepercisset, et id quod hoc loco caput est, ut Agamemnon acerbius castigaretur, qui paternam ignominiam hereditate quasi accepisse significatur. Quam *Schneidew.* ed. II. proposuit interpretationem, aliquantum ea infringitur convicii vis atque acerbitas: neque probabile est. Sophoclem quam in Atreo secutus fuerit fabulam, ab ea hoc loco recessisse. Quod denique aor. ἐφῆκα consilium necis exprimi ait, alienum mihi videtur ab hoc loco esse, quo mortis genus distincte significetur. Quamquam fateor. favere aliquantum Schneidewini interpretationi, quod adulter ἐπακτὸς ἀνήρ appellatur: at de hac ipsa voce nascitur nescio quo pacto suspitio mihi ex scholiastae explicatione; is enim interpretatus: ἐπακτὸν ἄνδρα· τὸν μοιχόν, videtur legisse: ἐραστόν vel potius ἐραστήν, quod ipsum Sophocles haud scio an scripserit. — Simili acerbitatis specie Aesch. dicit Fr. 169: ἀλλ᾽ Ἀντικλείας ἆσσον ἦλθε Σίσυφος, τῆς σῆς λέγω τοι μητρός, ἥ σ᾽ ἐγείνατο. Cf. Schol. ad S. Ai. 190. Soph. Fr. 143. Ph. 1311. Ovid. Met. XIII. 31 sq. —

Deinde haec orationis copia usurpari solet. si qua *praeter opinionem* omnino parentes vel liberi facere dicuntur. Velut matris impietatem matre illam quidem indignissimam castigatura pronunciat haec Electra El. 261: ᾗ πρῶτα μὲν τὰ μητρός, ἥ μ᾽ ἐγείνατο, ἔχθιστα συμβέβηκεν. cf. Eur. El. 264: μήτηρ δέ σ᾽ ἡ τεκοῦσα ταῦτ᾽ ἠνέσχετο; Fr. 84: εἰ τοῦ τεκόντος οὐδὲν ἐντρέπει πατρός. Porro v. O. R. 1497., ubi Oedipus, ut flagitii sui diritas perspiciatur, quam nuncius reticentia illa v. 1289: τὸν πατροκτόνον, τὸν μητρός optime exprimit, haec dicit: τὴν τεκοῦσαν ἤροσεν, ὅθεν περ αὐτὸς ἐσπάρη, cf. v. 1485. Nec dubito equidem, quin idem O.R. 1482: ἔλθετε ὡς τὰς ἀδελφὰς τάσδε τὰς ἐμὰς χέρας, αἳ τοῦ φυτουργοῦ πατρὸς ὑμὶν ὧδ᾽ ὁρᾶν τὰ πρόσθε λαμπρὰ προὐξένησαν ὄμματα. et v. 1514: τοῦ βίου δὲ λῴονος ὑμᾶς κυρῆσαι τοῦ φυτεύσαντος πατρός tristissimi matrimonii memoria cruciatus dicat. quo liberorum pater nefarie factus sit. Porro cf. El. 341: δεινόν γέ σ᾽ οὖσαν πατρός, οὗ σὺ παῖς ἔφυς, κείνου λελῆσθαι. Eur. Hipp. 628: προσθεὶς γὰρ ὁ σπείρας τε κἀκθρέψας πατὴρ φερνὰς ἀπῴκισ᾽, ὡς ἀπαλλαχθῇ κακοῦ, h. e. ipse pater filias. quas ei cordi esse putaveris. adeo aversatur. ut domo sua exituris libenter dotem etiam addat. Alc. 16: πατέρα, γεραιάν θ᾽, ἥ σφ᾽ ἔτικτε. μητέρα: mirum enim, ne matrem quidem eamque senectute confectam eo esse filii amore. ut pro eo mortem oppetat. Nonnunquam hae locutiones nihil aliud nisi amorem omnino produnt ac pietatem. ut Ai. 1172: ὦ παῖ πρόσελθε δεῦρο καὶ σταθεὶς πέλας ἱκέτης ἔφαψαι πατρός, ὅς σ᾽ ἐγείνατο. Eur. Suppl. 1134: οὐ πατρὸς ἐν χερσὶ τοῦ τεκόντος. Ion. 1324: χαῖρ᾽ ὦ φίλη μοι μήτηρ, οὐ τεκοῦσά περ. Quam vim in appellando potissimum habere videntur; neque tamen nego. a pleonasmis eiusmodi locos non longe distare. *Sophocles* evitavit hoc. quod *Euripidi* in deliciis est: cf. Ph. 298. 1270. Iph. A. 1338: ὦ τεκοῦσα μῆτερ. Tro. 459. 634. Hec. 414. Or. 196. El. 1185. Aesch. Eum. 319: μᾶτερ, ἅ μ᾽ ἔτικτες, ὦ μᾶτερ Νύξ. — Eur. Tro. 1288: Κρόνιε γενέτα πάτερ Hecuba praepotens Iovis numen veneratur. et Ion. 136: Φοῖβός μοι γενέτωρ πατήρ generis nobilitas videtur indicari: cf. Aesch. Suppl. 576: πατὴρ φυτουργὸς αὐτόχειρ κτλ. Iam vero quae in illa cum Oedipo altercatione. illustrissimo artis Sophocleae documento. Tiresias ab irato rege discessurus pronunciat O.R. 435: ἡμεῖς τοιοίδ᾽ ἔφυμεν, ὡς μὲν σοὶ δοκεῖ, μῶροι, γονεῦσι δ᾽ οἵ σ᾽ ἔφυσαν, ἔμφρονες, in iis verborum ubertas singulari quadam sapientia quaesita apparet. Tiresias enim non dubium est quin Oedipi animum ad veram eius originem advertere studeat: quod non frustra eum facere. ex eo intelligitur, quod rex perturbatus respondet: ποίοισι; μεῖνον. τίς δέ μ᾽ ἐκφύει βροτῶν; cum quae paulo ante v. 417. simplicius de ipsius parentibus senex memoravit, securus ille neglexerit. At vero quaerenti mihi non contigit. ut idoneam rationem explorarem, qua verborum copia Tr. 311: τίς ἡ τεκοῦσα; τίς δ᾽ ὁ φιτύσας πατήρ; apte posset explanari. Immo, si quid video, Trachinias a propria orationis Sophocleae elegantia recedere paululum ac degenerare. hoc quoque loco edocemur. Cuius negligentiae exempla. ut apud Sophoclem praeterquam hoc. quod modo dixi. nulla deprehenduntur. sic in Euripidis fabulis disseminata large coeperunt sese effundere: cf. Hel. 86: ὄνομα μὲν ἡμῖν Τεῦκρος, ὁ δὲ φύσας πατὴρ Τελαμών. Iph. T. 472: τίς ἆρα μήτηρ ἡ τεκοῦσ᾽ ὑμᾶς ποτε, πατήρ τ᾽ ἀδελφή τε; 499: σοὶ δ᾽ ὄνομα ποῖον ἔθεθ᾽ ὁ γεννήσας πατήρ; El. 964: τὴν τεκοῦσαν ἥ μ᾽ ἐγείνατο (sc. ὁρῶ). Cf. Fr. Adesp. 461, 1.: ἐγὼ γάρ, εἰ νοῦν εἶχ᾽ ἔμ᾽ ὁ σπείρας πατήρ, ἠπιστάμην κτλ. —

2. Adduntur etiam verbis vel substantiva vel adiectiva vel adverbia eiusdem fere significationis, quibus illorum vis augeatur et amplificetur. ut Tr. 1171: ἔφασκε μόχθων τῶν ἐφεστώτων ἐμοὶ λύσιν τελεῖσθαι. O.C. 1720: ἔλυσε τέλος τοῦ βίου. cl. O.R. 1529. *Wex.* ad Ant. 671. ***Monk.*** ad Eur. Hipp. 86.. quae locutiones proxime absunt a figura etymologica. de qua incredibili diligentia exposuit *Lobeck.* Paral. p. 501. sqq. — Addo O.R. 996: πατρῷον αἷμα χερσὶ ταῖς ἐμαῖς ἑλεῖν. Saepe enim ἑλεῖν sonat occidere. ut Hom. Il. 4. 457. Soph. Ph. 437. Ai. 1056. Aesch. Eum. 351. Significat igitur αἷμα ἑλεῖν necem feriendo patrare. describitque Oedipus hac ubertate facinoris nefarii atrocitatem; cf. Eur. El. 281: θάνοιμι. μητρὸς αἷμ᾽ ἐπισφάξασ᾽ ἐμῆς. Quare hoc loco vim sententiae vereor coniectura tollere, quae in promptu est: solent enim αἷμα. ὄμμα, σῶμα confundi. cf. Eur. Ph. 1502. Fragm. 862. — Porro vide Ai. 243: κακὰ δεννάζων ῥήματα. 1185: νέατος λήξει. 1137: λάθρα σὺ κλέψειας κακά, quibuscum conferri licet Ant. 493: κλοπεὺς τῶν μηδὲν ὀρθῶς ἐν σκότῳ τεχνωμένων: ipsum κλέπτειν enim „clam aliquid perpetrare“ significat; cf. *Stallb.* ad Plat. Legg. IX. p. 876. B. — El. 331: θυμῷ ματαίῳ μὴ χαρίζεσθαι

κενά. ubi vid. Schneidew. Fucatum prope nitorem altiusque exaggeratam orationem habes in his Euripideis Hec. 488: ἢ δόξαν ἄλλως τήνδε κεκτῆσθαι μάτην ψευδῆ. quibus paulo astrictiora haec: Hec. 335: λόγοι πρὸς αἰθέρα φροῦδοι μάτην ῥιφέντες. — Porro cf. Phil. 1348: ἄνω βλέποντα κοὐκ ἀφῆκας εἰς Ἅιδου μολεῖν. h. e. apud superos viventem. ubi ἄνω accedit ob ea quae sequuntur: κοὐκ ἀφῆκας κτλ. — Atque uti Ant. 700: ἐρεμνὴ σῖγ᾽ ἐπέρχεται φάτις dicitur et Ib. 83: κρυφῇ κεύθειν et v. 1254: κρυφῇ καλύπτειν, sic El. 159. nescio an scribendum sit: κρυπτᾷ δ᾽ ἀχέων ἐν ἥβᾳ: admodum enim de participio ἀχέων dubito, quod defendere studet *Doederl.* Hom. Gl. II. §. 886. — Componi cum his possunt chori verba Ai. 170: τάχ᾽ ἂν ἐξαίφνης, εἰ σὺ φανείης, σιγῇ πτήξειαν ἄφωνοι, quocum loco contulit *Lobeck.* Pind. Pyth. IV. 57: ἔπταξαν δ᾽ ἀκίνητοι σιωπᾷ. meminitque Hom. illius (Il. 3, 95): ἀκὴν ἐγένοντο σιωπῇ. Sophocles vero hac verborum copia usus aperte est, ut subitum, qui Aiacis adventu omnibus iniiceretur, terrorem describeret; ἄφωνοι igitur clamoribus illis iactationis plenis, qui verbo παταγεῖν significantur, contrarium quasi cum vi adiectum est. — Eodem referenda porro haec sunt O.C. 435: λευσθῆναι πέτροις (cf. Eur. Iph. A. 1350.) O.R. 65: ὕπνῳ εὕδειν. O.C. 1625: φόβῳ δεῖσαι. Tr. 176: φόβῳ ταρβοῦσαν. Ph. 225: ὄκνῳ δεῖσαι. cf. *Porson.* Adv. p. 147. *Wund.* ad O.R. 65. Ph. 79: φύσει πεφυκέναι, de qua locutione recte *Nauck.* exposuit; cf. *Frotsch.* ad Xen. Hier. 3, 9. *Bornem.* ad Cyrop. VIII. 7. 13. *Meinek.* ad Men. p. 394. — Addo O.R. 344: θυμοῦ δι᾽ ὀργῆς ἥτις ἀγριωτάτη: invenitur enim adeo θυμὸς ὀργῆς, cf. *Blomf.* Gloss. in A. Pers. 425. *Lobeck.* Paral. p. 525. — Legitur etiam ζῆν ἀλυπήτῳ βίῳ Tr. 168.. ζῶσαν ἀβλαβεῖ βίῳ El. 650: cf. Crit. fr. Sis. 17: ἀφθίτῳ θάλλων βίῳ. — Neque vi sua caret quod Ulixes dicit Phil. 55: ψυχὴν λόγοισιν ἐκκλέψεις λέγων, h. e. versuta et fallaci oratione in colloquendo decipies; cf. Aesch. Agam. 1011: ἔσω φρενῶν λέγουσα πείθω νιν λόγῳ. *Bernh.* Synt. p. 107. *Pflugk.* ad Eur. Herc. f. 77. Est utique oratio moribus Ulixis ita consentanea, ut, λόγοισιν certe coniectura sublato, singularis sententiae vis tollatur funditus: quae augeretur fortasse, si scriberes: λόγοισιν ἐκκλέψεις ἑλών. cf. v. 14. et 1228: ἀπάταισιν αἰσχραῖς ἄνδρα καὶ δόλοις ἑλών. — Denique cf. O.R. 1469: γονῇ γενναῖος, cuius quae vis sit, elucet ex Ai. 1094: ὃς μηδὲν ὢν γοναῖσιν. cf. *Heind.* ad Plat. Soph. §. 35. — Ἐγγενῆ φύσει Ant. 659. autem significat „*sanguine* cognatos ipsos."

3. Haud multum distat ab his usus ille adiectivorum pervulgatus, quae quidem ita saepenumero sententiis inseruntur, ut actionem quae verbo indicatur absolutam ante oculos ponant, atque. gravitate sententiae angusto verborum ambitu adaucta, agendi summam quasi celeritatem repraesentent. Quod quam recte dixerim, cum ex aliis patet tum ex his Creontis verbis Ant. 406: πῶς ἐπίληπτος ἡρέθη, quam Schaeferi emendationem scholiastae potissimum auctoritate perducti recentiores interpretes recte receperunt omnes. Interest enim Creontis pernoscere penitus, quem ad modum in ipso facinore Antigona sit deprehensa, ut iusta nimirum sibi sit supplicii causa. Est igitur idem fere, quod Creon post dicit v. 655: αὐτὴν εἷλον ἐμφανῶς ἐγώ. cf. Fr. inc. 845: ὅταν τις ἐμφανῶς ἐφευρεθῇ. *Matth.* ad Eur. Hipp. 657. Nunquam vero Soph. hanc orationis ubertatem, quae insigni excellit brevitate, ita adhibet, ut sua gravitate sermo carere videatur. Rarius utitur ea *Aeschylus*, abutitur nonnunquam, ut creber est et distinctus in omni pigmentorum genere, *Euripides*, quem quod dixit Ph. 1596: ὃν καὶ πρὶν εἰς φῶς μητρὸς ἐκ γονῆς μολεῖν ἄγονον, deridet detorquens verba Aristoph. Ran. 1183: ὅντινά γε πρὶν φῦναι μὲν Ἀπόλλων ἔφη ἀποκτενεῖν τὸν πατέρα, πρὶν καὶ γεγονέναι. Sed redeo ad Sophoclem, quaeque reperiuntur apud eum huius generis exempla enumerabo: Ant. 399: ἐλεύθερος δίκαιός εἰμι τῶνδ᾽ ἀπηλλάχθαι

κακῶν. 441: κομίζοις ἂν σεαυτὸν ἔξω βαρείας αἰτίας ἐλεύθερον. O.C. 786: πόλις δέ σοι κακῶν ἄνατος τῶνδ᾽ ἀπαλλαχθῇ χθονός. El. 1002: ἄλυπος ἄτης ἐξαπαλλαχθήσεται. Ai. 1019: ἀπωστὸς γῆς ἀπορριφθήσομαι. 69: ἀποστρόφους αὐγὰς ἀπείρξω. O.C. 1200: τῶν σῶν ἀδέρκτων ὀμμάτων τητώμενος. Tr. 106: οὔποτ᾽ εὐνάζειν ἀδακρύτων βλεφάρων πόθον cf. Aesch. Ag. 544: ἐν κοίταις ἀκύμων νηνέμοις εὕδοι πεσών. et Verg. Aen. X, 103: *premit placida* aequora pontus. — Ant. 881: τὸν δ᾽ ἐμὸν πότμον ἀδάκρυτον οὐδεὶς φίλων στενάζει, nec cogitabit hodie quisquam de α intens. cf. *Doed.* de α int. p. 5. — Ant. 791: σὺ καὶ δικαίων ἀδίκους φρένας παρασπᾷς ἐπὶ λώβᾳ. Tr. 240: ὅθ᾽ ᾕρει τῶνδ᾽ ἀνάστατον δορὶ χώραν γυναικῶν. ibique *Nauck.* O.C. 1089: τὸν εὔαγρον τελειῶσαι λόχον. Ai. 830: ῥιφθῶ κυσὶν πρόβλητος. El. 207: τὸν ἐμὸν εἶλον βίον πρόδοτον. Ai. 987: μή τις ὡς κενῆς σκύμνον λεαίνης δυσμενῶν ἀναρπάσῃ. O.R. 153: ἐκτέταμαι φοβερὰν φρένα δείματι πάλλων. ibique Schneidew. Tr. 698: ῥεῖ πᾶν ἄδηλον, cf. El. 1000. Ai. 1267. O.R. 560: ἄφαντος ἔρρει. 194: παλίσσυτον δράμημα νωτίσαι πάτρας ἄπουρον. O.C. 234: ἔκτοπος-ἄφορμος-ἔκθορε. O.R. 431: ἄψορρος-ἀποστραφεὶς ἄπει. Tr. 679: μεῖζον᾽ ἐκτενῶ λόγον, cf. Ai. 1040: μὴ τεῖνε μακράν. Eur. Hec. 1177. Hdt. VII, 51. Hor. Ep. ad Pis. 346. Lucan. I, 170. *Pflugk.* ad Eur. Med. 1351. *Blomf.* Gloss. in Aesch. Ag. 889. *Wellauer.* ad Aesch. Choeph. 503. *Lobeck.* Paral. II. p. 531. sq. ad Ai. 1040. Eur. Aeol. fr. 28: ἐν βραχεῖ πολλοὺς λόγους-συντέμνειν. Praeterea cf. Tr. 477. 1686. Ant. 108. O.C. 1241. De multis autem viris doctis, qui hanc rem exemplis illustrarunt, aliquot laudo, ut *Bernh.* Synt. p. 428. *Seidl.* ad Eur. El. 442. *Wellauer.* in Ann. phil. Suppl. I. p. 405 sq. *Wund.* Adv. in S. Phil. p. 51 sq. *Pflugk.* et *Klotz.* ad Eur. Hec. 690. Heracl. 574. *Heller.* ad O.C. 1194. *Lobeck.* ad Ai. 517. *Naegelsb.* ad Il. II, 414. *Weber.* ad Dem. in Arist. p. 304. et 497.

4. In his adnumerandi videntur loci nonnulli, in quibus ἐπεξήγησις quam vocant cernitur vocabulorum: ac primum quidem affero O.R. 57: ἔρημος ἀνδρῶν μὴ ξυνοικούντων ἔσω, de quo loco scite exposuit *Schneidew.* Deinde cf. Ai. 464: γυμνὸν φανέντα τῶν ἀριστείων ἄτερ, ubi plura idem attulit; cf. *Comm. de ubert. Soph.* I. p. 15 sq. Ph. 31: ὁρῶ κενὴν οἴκησιν ἀνθρώπων δίχα i. e. vacuum domicilium idque vacuum hominibus. 487: ἔρημον οὕτω χωρὶς ἀνθρώπων στίβου, cf. Eur. Andr. 18. ibique *Pflugk.* Ai. 750: οἶος Ἀτρειδῶν δίχα, ubi non sine acerbitate Atridarum mentionem adiectam esse patet. Tr. 1063: μόνη-φασγάνου δίχα. Porro cf. O.R. 1463: αἷν οὔ ποθ᾽ ἡμὴ χωρὶς ἐστάθη βορᾶς τράπεζ᾽ ἄνευ τοῦδ᾽ ἀνδρός, h. e. *quibus nunquam separatim apposita mensa mea erat sine me.* Describunt autem haec verba abiectum fractumque Oedipi animum, qui non sine summo dolore de filiabus recordatur patris cura ac convictu orbatis.*)

*) Dubitant interpretes de huius loci integritate, in quibus Nauckio displicet et ἡμή, quasi vero non apte consocietur cum ἄνευ τοῦδ᾽ ἀνδρός, et vox βορᾶς τράπεζα· quare coniecit: ἡμῶν χωρὶς ἐπλήσθη βορᾶς κτλ. At inelegans haec foret et inutilis sermonis redundantia: ἡμῶν χωρὶς ἄνευ τοῦδ᾽ ἀνδρός. Neque erat quod offenderet ἡμή, in cuius locum Arndtius (Quaestt. crit. p. 27.) quoque sine idonea causa ἄλλη substituit, quod defenditur sane simili exemplo Ph. 536: ἄλλον πλὴν ἐμοῦ. Sed multo illud gravius est: namque ἡμὴ τράπεζα est i. q. mensa, quam patrem me apponere decebat; paternam igitur Oedipi curam describit, qua sua suis semper in ea, quae patri conveniat, vitae victusque communione ultro suppeditaverit. Deinde exstat etiam locus non dissimilis O.C. 1329: ὁρμωμένῳ τῷδ᾽ ἀνδρὶ τοὐμοῦ πρὸς κασιγνήτου τίσιν. Hoc tamen recte videtur *Nauckius* existimasse, vitio non carere βορᾶς τράπεζα, cuius loco vide an scribendum sit:

αἷν οὔ ποθ᾽ ἡμὴ χωρὶς ἐστάθη πάρος τράπεζα κτλ.,

ut cum gravitate praeteriti temporis fortuna praesenti contraria ponatur; cf. Hom. Od. 6, 325: ἐπεὶ πάρος οὔ ποτ᾽ ἄκουσας. Eur. Herc. f. 745: ἃ πάρος οὔποτε διὰ φρενὸς ἤλπισεν παθεῖν γᾶς ἄναξ. Soph. O.R. 491: οὔτε πάροιθέν ποτ᾽ ἔγωγ᾽ οὔτε τὰ νῦν πω. Ai. 411: ἃ πρόσθεν οὗτος οὐκ ἔτλη ποτ᾽ ἄν. Tr. 158: ἀμοὶ πρόσθεν οὐκ ἔτλη ποτέ. O.C. 1549: πρόσθε πού ποτ᾽ ἦσθ᾽ ἐμόν. Ai. 613: πρὶν δή ποτε. — Similiter corruptum est Soph. Fragm. 856, 8: τίς οὐχὶ τῆσδε τῆς θεοῦ βορός; pro quo scribendum sine dubio: πόρος; cf. Lucian. Dem. Encom. 14: ἔρωτι δὴ πάντα πόριμα. Long. Past. III, 5: ἔρωτι δὲ ἄρα πάντα βάσιμα καὶ πῦρ καὶ ὕδωρ καὶ Σκυθικὴ χιών. *Wex.* ad Soph. Ant. 781. —

Ant. 566: *τί γὰρ μόνῃ μοι τῆσδ᾽ ἄτερ βιώσιμον*, quibus desiderium sororis, in cuius consuetudine suam salutem positam esse sentit Ismena, vix tolerabile exprimitur; cf. v. 548. Item v. 425: *ὡς ὅταν κενῆς εὐνῆς νεοσσῶν ὀρφανὸν βλέψῃ λέχος* vehementissimus dolor in tristis solitudinis et orbitatis contemplatione verbis effingitur; cf. *Ellendt*. L. S. II. p. 25. Quam apte denique Ant. 59: *εἰ νόμου βίᾳ ψῆφον τυράννων ἢ κράτη παρέξιμεν* Antigona dicat, demonstravi in Ann. phil. Suppl. XVII. p. 290. cf. Plat. Legg. VIII. p. 832. C.: *ἀλλ᾽ ἀκόντων ἑκοῦσα ἄρχει σὺν ἀεί τινι βίᾳ*. Dem. Phil. II. §. 16: *ἐγὼ μὲν γὰρ οὐδ᾽ ἂν ἡγοῦμαι Φίλιππον οὔτ᾽ εἰ τὰ πρῶτα βιασθεὶς ἄκων ἔπραξεν*, quae temere impugnat *Hirschig*. Phil. V. p. 330. Eur. Alc. 1116: *βιάζει μ᾽ οὐ θέλοντα δρᾶν τάδε*. Iph. A. 1149: *ἔγημας ἄκουσάν με κἄλαβες βίᾳ*. Ovid. Met. VIII. 394 sq.: Ipsa suis licet hunc Latonia protegat armis, Invita tamen hunc perimet mea dextra Diana. *Naegelsb*. ad Il. I, 430.

5. Item infinitivi saepissime sententiae vel explicandae vel amplificandae causa ita apponuntur, ut de pleonasmo non opus sit cogitare, id quod fecit *Matth*. Gr. §. 535. c. not. 1. Atque ne in re nota ac pervulgata multus sim et insolens, nolo hoc loco ea exempla afferre, ubi prope necessarius est infinitivus, ut El. 1016: *προνοίας οὐδὲν ἀνθρώποις ἔφυ κέρδος λαβεῖν ἄμεινον*, O.C. 233: *ἀντίδωσιν ἔχειν*, Ant. 638: *ἐμοὶ γὰρ οὐδεὶς ἀξιώσεται γάμος μείζων φέρεσθαι σοῦ καλῶς ἡγουμένου*· pervulgata etiam haec sunt: El. 364: *τῆς σῆς δ᾽ οὐκ ἐρῶ τιμῆς τυχεῖν*. Ai. 924: *ἄξιος θρήνων τυχεῖν*. Ph. 62: *ἠξίωσαν τῶν Ἀχιλλείων ὅπλων ἐλθόντι δοῦναι κυρίως αἰτουμένῳ*. O.C. 1496., de quibus bene exposuerunt *Wund*. ad Ph. 62., *Klotz*. ad Eur. Med. 1399., *Schneidew*. ad Ant. 490; cf. *Bernh*. Synt. p. 178. Imprimis fieri hoc solet in verbis *arcessendi* et *dimittendi*, ut Ant. 165: *ὑμᾶς δ᾽ ἐγὼ πομποῖσιν ἔστειλ᾽ ἱκέσθαι*, cum *στέλλειν* solum sic saepius usurpetur, ut O.R. 860. O.C. 298. Addo Ph. 1349. O.C. 1286. Aesch. Sept. 594. *Wund*. ad Ph. 60. Reliquos locos breviter indicabo: Ai. 538. El. 1454. Ai. 673. O. C. 229. Ph. 848. O.R. 1376. Tr. 694. Eur. El. 490. cf. *Blomf*. Gl. in A. Prom. 791. *Wund*. ad Soph. Ph. 830. *Weber*. ad Dem. in Arist. p. 263. —

II. Venio nunc ad alterum quod supra posui amplificationis in dicendo genus. Delectari enim fere solent poetae tragici potissimum in oratione acerbitatis plena ea dicendi forma, qua substantiva cum adiectivis consociantur, copulando illis quidem factis ex iisdem nominibus et *α* priv. vel adverbio *δύς*. Auctorem vero habuerunt in hoc quoque genere Homerum, apud quem *Ἶρος Ἄϊρος* (Od. 18, 73.), et *μῆτερ ἐμὴ δύσμητερ* (Od. 23, 97.) legitur. Cuius exemplum secutus *Aeschylus* Pers. 681: *ἄναες νᾶες*. Prom. 907: *ἀπόλεμος πόλεμος*, Eum. 449: *ἄπολιν πόλιν*, 1015: *Νυκτὸς παῖδες ἄπαιδες* dixit. Imprimis autem his ornamentis decorare orationem *Euripides* coepit, quem nescio an carpat propterea Arist. Ran. 1334: *ψυχὰν ἄψυχον*· cf. Hel. 363: *ἔργα ἄνεργα*. 690: *γάμον ἄγαμον*, quod imitatus est poeta trag. ap. Cic. de or. III, 58, 219: Helenam Paris innuptis iunxit nuptiis. — Hec. 612: *νύμφην τ᾽ ἄνυμφον, παρθένον τ᾽ ἀπάρθενον*. Suppl. 32: *δεσμὸν δ᾽ ἄδεσμον*. Herc. f. 1133: *ἀπόλεμον πόλεμον*. Iph. T. 888: *ὁδοὺς ἀνόδους*. 566: *χάριν ἄχαριν*. Hipp. 821: *κατακονὰ ἀβίοτος βίου*. 1144 et Ph. 1306: *πότμον ἄποτμον*. Tro. 75: *δύσνοστον νόστον*. Ph. 1048: *γάμους δυσγάμους*. Iph. T. 144: *δυσθρηνήτοις θρήνοις*. 203: *δυσδαίμων δαίμων*. 216: *νύμφαν δύσνυμφον*. Hel. 213: *αἰὼν δυσαίων*. Or. 319: *ἀβάκχευτον θίασον*. 621: *ἀνηφαίστῳ πυρί*. Ph. 1028: *ἄλυρον μοῦσαν*. Neque abstinuit iis *Sophocles*; cf. El. 1154: *μήτηρ ἀμήτωρ*, quibus quid exprimatur, demonstrant Electrae verba v. 273; cf. Tr. 817 sq. Deinde cf. O.R. 1214: *γάμος ἄγαμος*. Ph. 534: *ἄοικον εἰσοίκησιν*. 848: *ὕπνος ἄϋπνος*. Ai. 665: *ἄδωρα δῶρα*. Ph. 297: *ἄφαντον φῶς*. O.C. 1549: *φῶς ἀφεγγές*.

Ant. 588: *δυσπνόοις πνοαῖς*. 1261: *φρενῶν δυσφρόνων*. 1277: *πόνοι δύσπονοι*. 980: *πάθαν κλαῖον ματρὸς ἔχοντες ἀνύμφευτον γονάν*. quo loco *ματρός* coniungendum est cum *γονάν*, pariter atque O.C. 973: *οὔτε βλάστας-πατρός, οὐ μητρὸς εἶχον*, ita quidem collocatum, ut ad *πάθαν* quoque facile referatur: omnis igitur interpunctio in his verbis tollenda est. *Ἀνύμφευτον γονὰν ματρός* autem intelligo: *γ. ματρὸς ἀνυμφεύτου*, apteque conferri licet El. 493: *ἄλεκτρ᾽ ἄνυμφα γάμων ἁμιλλήματα*. Eur. Hipp. 1140: *νυμφιδία δ᾽ ἀπόλωλε-λέκτρων ἅμιλλα*. Nonn. 24. 214. (12. 83. 42, 259): *ἀνύμφευτοι ὑμέναιοι*. — O.C. 1484: *ἀκερδῆ χάριν*. Quibus addo O.R. 1256: *γυναῖκά τ᾽ οὐ γυναῖκα*, uti ap. Eur. Hec. 948: *γάμος οὐ γάμος*. Hel. 1134: *γέρας οὐ γέρας*. Attigerunt hanc rem *Valcken*. ad Eur. Phoen. 1745. *Welcker*. Alcm. fr. 50. p. 58 sq. *Jacobs*. Del. Epigr. I. 33. 2. *Pflugk*. ad Eur. Hec. 612. Herc. f. 1133. *Stallb*. ad Plat. Symp. p. 198. A. *Diller*. de cons. nott. p. 25. *Garcke* Quaestt. de graec. Hor. P. I. p. 132. *Lambin*. ad Hor. C. I. 34, 2: copiose autem hunc locum persecutus est *Lobeck*. Paral. I. p. 229 sqq.

2. His expositis disputabo breviter nunc de ea ratione, qua adiectivis illis copulatis genetivi adiiciuntur nominum idem fere valentium, quam orationis ubertatem non tam pleonasmum dixerim quam amplificationem: accuratius enim adiectis vocabulis adiectivorum vis definitur atque amplificatur. In hoc genere est Oed. C. 677: *ἀνήνεμον πάντων χειμώνων*. 786: *κακῶν ἄνατος*. 865: *ἄφωνον τῆσδε τῆς ἀρᾶς*. O.R. 191: *ἄχαλκος ἀσπίδων*. El. 36: *ἄσκευον ἀσπίδων*. 1002: *ἄλυπος ἄτης*. Ai. 321: *ἀψόφητος ὀξέων κωκυμάτων*. Tr. 691: *ἀλαμπὲς ἡλίου*. Ai. 796: *σκηνῆς ὕπαυλον*. El. 1386: *δωμάτων ὑπόστεγοι*. Ant. 1155: *Κάδμου πάροικοι καὶ δόμων Ἀμφίονος*. Tr. 1021: *λαθίπονον δ᾽ ὀδυνᾶν*. Ant. 346: *πόντου τ᾽ εἰναλίαν φύσιν*, ubi adiectivum additum aperte est, ut difficultas potiundorum piscium quanta sit distincte significetur. Ornate etiam Rhes. 908: *ἄπαις γέννας ἀριστοτόκοιο*. Neque abstinuerunt his solutae orationis scriptores, ut Thuc. II, 65: *χρημάτων ἀδωρότατος*. Plat. Legg. VIII. p. 841. E.: *ἄτιμος τῶν ἐν πόλει ἐπαίνων*. Eis autem quae attuli exemplis edocemur, Sophoclem hac ubertate ita tantummodo uti, ut substantivum alius originis sit atque adiect. copulatum, qua lege neque *Euripides* (Hel. 524: *ἄφιλος φίλων*. Andr. 612: *παίδων τ᾽ ἄπαιδας γραῦς*. Herc. f. 114: *τέκεα πατρὸς ἀπάτορα*). neque *Aeschylus* (*ἄπαιδες ἀρρένων παίδων*, cl. Plat. Legg. XI. p. 925. C.), neque ceteri scriptores ut *Plato* (Legg. I. p. 647. C: *ἄφοβον-φόβων*. Ib. VI. p. 774. B: *τιμῆς ἄτιμος*· cf. *Stallb*. ad h. l.) et *Isaeus* (III. §. 1: *ἄπαις ὧν γνησίων παίδων*) semper sese obstringi passi sunt; cf. *Matth*. Gr. §. 339. 1. *Bernh*. S. p. 172. *Valck*. ad Eur. Ph. 328. *Koern*. ad Andr. 603. *Pflugk*. ad Hel. 524. *Schaef*. Mel. cr. p. 79. 137. —

3. Transeo nunc ad simile copiosae orationis genus, cuius ea est natura, ut ad definiendam vim substantivi adiectivum copulatum angustiusque valens eodem casu addatur. Exempla haec collegi: Ai. 138: *λόγος κακόθρους*, quod superat tumor Aeschyleus Ag. 722: *γέρων παλαίφατος λόγος*. cf. Eur. El. 287: *ἀρχαῖος γέρων*. Ai. 1359: *γλῶσσα θρασύστομος*. O.C. 286: *κάρα δυσπρόσωπον*. cf. Aesch. Suppl. 184: *μετωποσωφρόνων προσώπων*. Eur. Fr. 862: *αἱματωπὸν ὄμμα*. Chaer. fr. 14, 7: *καλλίχειρας ὠλένας*. Eur. Hipp. 200: *εὐπήχεις χεῖρας*. Bacch. 1206: *λευκοπήχεσι χειρῶν ἀκμαῖσι*. Bacch. 167: *κῶλον ταχύπουν*. Hec. 66: *βαθύπους ἤλυσις ἄρθρων*. Iph. A. 421: *θηλύπουν βάσιν*. Bacch. 112: *λευκοτρίχων πλοκάμων*. Iph. A. 1080: *καλλικόμαν πλόκαμον*. — Soph. Tr. 81: *βίοτον εὐαίωνα*. Ai. 709: *εὐάμερον φάος*.[1] El. 687: *πάντιμον γέρας*. Ant. 848: *ἔργμα τυμβόχωστον τάφου*

[1]) Haec revocant me ad memoriam eorum, quae Ai. 208. leguntur: *τί δ᾽ ἐνήλλακται τῆς ἀμερίας νὺξ ἥδε βάρος*. Ac recte *Wolfius* consuesse tragicos poetas dicit noctem cum die componere, recteque de coniectura *Thierschii*: *ἠρεμίας*, quae mirum quantum placebat Schneidewino, disputavit. Quod tamen ipse pro *βάρος* pro-

ποταινίου Tr. 791: δυσπάρευνον λέκτρον. O.R. 1284: δύστεκνον παιδουργίαν cf. Xen. Oecon. 7, 21: νεογνῶν τέκνων παιδοτροφία. — Ai. 91: Διογενὲς τέκνον. 872: ναὸς κοινόπλουν ὁμιλίαν. cf. E. Iph. T. 141: κώπα χιλιοναύτα. Soph. O.C. 716: εὐήρετμος πλάτα. ubi prope evanescit ubertas orationis. quia πλάτα immutatum vocabuli ναῦς locum tenet atque significatum; cf. Eur. Iph. A. 172: πλάτας ναυσιπόρους. Soph. Ai. 357. Eur. Hec. 39. Or. 54. Iph. T. 242. Tro. 810. Heracl. 83. Rhes. 53. Iph. A. 723. 765. — Ai. 562: πυλωρὸν φύλακα. Fr. 583. 5: πάμπλουτον ὄλβον. Ai. 546: νεοσφαγῆ φόνον. cf. Aesch. Ag. 781: ἀνδροθνῆτας φθοράς. Eur. El. 1172: νεοφόνοις ἐν αἵμασιν. Praeterea vide Fr. Adesp. 35: γυναικῶν θηλύφρων ξυνουσία. Hom. Od. 21. 302: ἀεσίφρονι θυμῷ. Eur. Iph. A. 925: ὑψηλόφρων θυμός. Aeschin. in Ctes. §. 133: πόλις ἀστυγείτων. *Lobeck.* ad Ai. p. 133. sq. Phryn. p. 754. Paral. II. p. 537. *Wund.* ad Ant. 500. Ai. 555. *Wolff.* ad Ai. 796. et 91. *Pflugk.* ad E. Hec. 105. *Bernh.* S. p. 193. sq. *Meinek.* ad Men. p. 187. *Todt.* de Aesch. voc. invent. p. 55. *Nauck.* Eur. Stud. I. p. 72. Abstinuit autem Sophocles eis adiectivis, quae eiusdem sunt originis atque substantiva. id quod neque *Aeschylus* fecit (cf. Prom. 585: πολύπλανοι πλάναι. 575: τηλέπλανοι πλάναι. Eum. 682: πόλιν νεόπτολιν. Ch. 312: ὦ πάτερ αἰνόπατερ). neque *Euripides.* (cf. Ph. 1549: πόδα τυφλόπουν.). Incertum enim est quod legitur Fr. 343, 4: πᾶσαν οἰκετῶν παμπληθίαν, de quo *Nauck.* (Phil. IV. p. 539.) vel propter πλῆθος insequens proxime iure dubitat, qui coniecit optime: παμπησίαν. Item corrupta haec sunt Fr. 601: πολλῶν δ᾽ ἐν πολυπληθίᾳ κτλ., quae nec *Nauckius* expedivit, neque ego possum emendare. — Eadem autem ubertas orationis nonnunquam in *verbis* etiam et *adverbiis* cernitur. ut Ai. 898. et Tr. 1130: ἀρτίως νεοσφαγής. Ant. 1283: ἄρτι νεοτόμοισι πλήγμασιν. O.R. 742: ἄρτι χνοάζων λευκανθὲς κάρα, cf. *Wolff.* ad Ai. 898. — El. 280: μηλοσφαγεῖ-ἔμμηνʼ ἱερά. Tr. 760: ταυροκτονεῖ βοῦς, cf. *Naegelsb.* ad Il. 1, 598. *Krueger.* ad Xen. An. IV. 7, 22. — El. 190: οἰκονομῶ θαλάμους. O.C. 343: κατʼ οἶκον οἰκουρεῖν, ubi vid. *Schneidew.* cf. Crit. fr. 5, 2: σύνοικον ἐν δόμοις. Phil. 153: αὐλὰς ἔνεδρος ναίει. Ai. 83: πέλας παρόντʼ ἰδεῖν. Ant. 760: ὡς κατʼ ὄμματʼ αὐτίκα παρόντι θνήσκῃ πλησία. Tr. 896. (cf. Hor. Ep. I, 14, 24: vicina subest-taberna) Trach. 889: πλησία παραστάτις. — Item in tempore definiendo saepe coniunguntur νῦν παρών, ut El. 939. 1293. Tr. 174. 386. 737. Ph. 765. — O.C. 418: πάρος τοὐμοῦ πόθου προὔθεντο, cf. *Lob.* ad Ai. 741. Phryn. p. 10. *Comm. de ub.* I. p. 15. — Ph. 1222: αὖ παλίντροπος. O.C. 601: πάλιν κατελθεῖν cl. Ant. 200: φυγὰς κατελθών, cum de exsulibus satis sit κατελθεῖν, cf. *Bergl.* ad Ar. Ran. 1189. *Reisig.* En. O.C. 593. *Stallb.* ad Plat. Apol. p. 21. A. *Weber.* ad Dem. in Arist. p. 220. — Ph. 747: πρόχειρον εἴ τί σοι πάρα ξίφος χεροῖν, qua verborum copia ardentissimum gladii obtinendi desiderium egregie mentibus subiicitur; cf. Eur. El. 696. Hec. 527. Copiosius Aesch. Pers. 730: παμπήδην λαὸς πᾶς κατέφθαρται. —

Cap. VI. De ceteris amplificationis generibus.

1. *Lobeck.* ad Ai. p. 221. „*duo membra* inquit. *quorum unum ex altero intelligitur, coniunctim nominare solent.*" Plerumque igitur explicationis forma est, nonnunquam cum

posuit ῥοπᾶς, id et inutile est, neque illustratur eo chori sententia, sed obscuratur potius. Quod *Seidlerus* autem primus, post *Piderit.* quoque ac dubitanter *Bergk.* obtulerunt: ἀμμορίας· ab sententia videtur alienum esse, quae nisi fallor vocabulum postulat prope contrarium βάρει νυκτός· quod vidit *Nauckius,* qui εὐμαρίας coniecit, quam dubito tamen num *felicitatem* liceat interpretari. Equidem ordine verborum immutato locum facile sanari arbitror hac emendatione: τί δʼ ἐνήλλακται νὺξ ἥδε βάρους εὐαμερίας cf. Eur. El. 197. —

ubertate sermonis coniuncta. Manarunt haec quoque ex prisco illo omnis ornatus poetici fonte. Homeri carminibus: cf. Il. 14, 154: στᾶσʼ ἐξ Οὐλύμποιο ἀπὸ ῥίου. 16, 288: ἐξ Ἀμυδῶνος ἀπʼ Ἀξιοῦ. Hinc explicandum Sophocleum illud O.C. 1318: ὁ πέμπτος δʼ εὔχεται κατασκαφῇ-ἄστυ δῃώσειν πυρί, quo simplicius Eur. Hel. 196: Ἰλίου κατασκαφὰν πυρὶ μέλουσαν δαΐῳ. — Ai. 310: κόμην ἀπρὶξ ὄνυξι συλλαβὼν χερί cf. Eur. Ph. 1374: ἐκ χερὸς-ἀπʼ ὠλένης βαλεῖν. Bacch. 767: σταγόνα δʼ ἐκ παρῇδων-ἐξεφαίδρυνον χροός, quae Schneidew. affert ad Ai. l. l. Similia congesserunt *Pflugk.* ad Eur. Herc. f. 10. *Haase.* ad Xen. de rep. Lac. p. 87. *Bernh.* S. p. 103. Addo Eur. Hipp. 1148: τί τὸν τάλανʼ ἐκ πατρῴας γᾶς-πέμπετε τῶνδʼ ἀπʼ οἴκων; Hel. 2: ὃς Αἰγύπτου πέδον-ὑγραίνει γύας, ibique *Pflugk.*, a quibus distat aliquantum. cum duo exstent verba, Iph. A. 1068 sq.: ὃς ἥξει χθόνα-Πριάμοιο κλεινὰν γαῖαν ἐκπυρώσων. Non debebat igitur hunc locum *Bernh.* S. p. 51. similem eorum ducere. quae O.C. 668. leguntur: τᾶσδε χώρας ἵκου τὰ κράτιστα γᾶς ἔπαυλα. Haec enim merito repudiata et *Elmsleii* et *Reisigii* explicatione. qua omnis quasi tragicae orationis color diluitur, recte enucleavit *Hermann.*, qui apte comparavit Aesch. Prom. 432., cui loco Schneidew. addidit Eur. Suppl. 53; neque alienum est conferre Ai. 309: ἐν δʼ ἐρειπίοις νεκρῶν- (quae unum quasi efficiunt) ἕζετʼ ἀρνείου φόνου. Sunt vero in hoc quod tractamus genere haec numeranda: Tr. 689: ἔχρισα μὲν κατʼ οἶκον ἐν δόμοις, quae cum vehementer *Wundero* (Em. in Tr. p. 198.) displicuissent, ita explicavit Schneidew., ut et *Axtii* (Phil. IV. p. 574.) coniectura: μυχοῖς, et *Dindorfii*: ἐνδυτόν, et *Braunii* (Ann. phil. Vol. 81. p. 701. sq.): τόδʼ ἔνδον facile careamus. Patrocinio enim sunt codicum scripturae et Theocritea Id. 17, 18: δόμος ἐν Διὸς οἴκῳ, quamquam haec ipsa non ferenda duxit *Bergk.*, qui dubito num recte coniecerit: θρόνος, et Eur. Ph. 193: κατὰ στέγας ἐν παρθενῶσι, et alii haud dissimiles loci, ut Crit. fr. 5, 2: σύνοικον ἐν δόμοις, Soph. O.C. 18: εἴσω κατʼ αὐτόν, h. e. *in intimo nemore.* Eur. Tr. 645: ἐν δόμοις εἴσω μελάθρων. Alc. 436: εἰν Ἀΐδα δόμοισιν τὸν ἀνάλιον οἶκον οἰκετεύοις. Atque si Alc. 852: εἰς ἀνηλίους δόμους contuleris cum Herc. f. 607: ἐξ ἀνηλίων μυχῶν et Heracl. 218: ἐρεμνῶν-μυχῶν, δόμος apparebit apte poni ad significandum interiorem aedium recessum. Praeterea cf. Cic. de sen. 4, 12: *intus domique,* Ov. Met. I, 171: Hac iter est superis ad magni *tecta* Tonantis *regalemque domum.* VIII, 158: Multiplicique *domo* caecisque includere *tectis.* *Jacob.* Quaestt. Luc. p. 22. — Quod vero Ai. 65. Minerva exiguo intervallo ἐς δόμους et κατʼ οἶκον dicit, non video equidem in his dedita opera quaesitum vocabulorum discrimen. sed variandae tantummodo orationis studium. ut Eur. Ph. 193: εἴσβα δῶμα καὶ κατὰ στέγας ἐν παρθενῶσι μίμνε σοῖς. Soph. O.R. 637: οὐκ εἶ σύ τʼ οἴκους, σύ τε Κρέων κατὰ στέγας· Eur. Ion. 16: τεκοῦσʼ ἐν οἴκοις παῖδʼ ἀπήνεγκεν βρέφος. Iph. T. 238: Ἀγαμέμνονος παῖ καὶ Κλυταιμνήστρας τέκνον. Ph. 22: ἔσπειρεν ἡμῖν παῖδα καὶ σπείρας βρέφος. *Bernh.* S. p. 194. Repetitione autem illa similis vocabuli, ut non dicam de descriptionis diligentia. quae prope postulare videtur orationis copiam. haud scio an id potissimum sequatur Minerva, ut metu levet Ulixem. extimescentem nimirum vehementius adversarii furibundi adspectum. — Sed ut redeam ad ea de quibus agimus ubertatis exempla. affero Tr. 503: ἐπὶ τάνδʼ ἄρʼ ἄκοιτιν-κατέβαν πρὸ γάμων. O.R. 74: εἰκότος πέρα ἄπεστι πλείω τοῦ καθήκοντος χρόνου. h. e. *praeter exspectationem diutius quam consentaneum est.* Porro cf. O.R. 780: ἐν δείπνοις γʼ ὑπερπλησθεὶς μέθῃ καλεῖ παρʼ οἴνῳ, quae quam prudenter congregata sint. scite exposuit *Schneidew.* cf. Apoll. Rh. I. 458: παρὰ δαιτὶ καὶ οἴνῳ. Just. 12, 6: inter epulas et pocula. Cic. Phil. II. 25, 63: si inter cenam in ipsis

tuis immanibus illis poculis hoc tibi accidisset. In hoc tamen offendo aliquid, quod *παρ' οἴνῳ* a superioribus seiunctum itaque collocatum exstat, tanquam si iis, quae praecedunt: *ὑπερπλησθεὶς μέθῃ*, gravius aliquid contineat, quod tamen non est. Quae offensio, si qua est, sublevaretur, neque vis debilitaretur sententiae, si *πάροινος* scriberes. Sed integrum relinquo. — Item *ἐκ παραλλήλου* quodam modo posita sunt, quae vitiose se habent Ant. 648: *μή νύν ποτ' ὦ παῖ τὰς φρένας ὑφ' ἡδονῆς γυναικὸς οὕνεκ' ἐκβάλῃς*, quorum perquam similia sunt Euripidea illa Heracl. 300: *ὃς δὲ νικηθεὶς πόθῳ κακοῖς ἐκοινώνησεν, οὐκ ἐπαινέσω, τέκνοις ὄνειδος οὕνεχ' ἡδονῆς λιπεῖν·* atque haec ipsa viam videntur nescio quo pacto aperire ad probabilem illius loci emendationem. Me poenitet enim ipsum nunc eius coniecturae, quam olim protuli (cf. Ann. phil. Suppl. XVII. p. 293.): *τὰς ὑφ' ἡδονῆς φρένας*, nec melior est *Dindorfii*, quae quidem ex mea nata esse videtur: *σὰς ὑ. ἡ. φ.*, vel *Bergkii*: *τὰς φρένας πρὸς ἡδονῆς*, multoque minus probandum quod excogitavit *Kayser*. (Ann. phil. Vol. 69. p. 497.): *φιληδίᾳ*. Quod vero nuper *Meinekius* l. l. p. 22. invenit: *τὰς φρένας σύ γ' ἡδονῇ*, id quidem sane probabile est, idemque iam dudum propositum ab *Hertelio* (Krit. u. exeg. Bem. über Stell. des Soph. Torg. 1856. p. 9 sq.): ad librorum tamen scripturam videtur propius accedere haec emendatio: *μή νύν ποτ' ὦ παῖ τὰς φρένΑCΔΟΥC ἡδονῇ*, h. e. *φρένας δοὺς ἡδονῇ·* cf. Eur. Ph. 21: *ὁ δ' ἡδονῇ δοὺς εἴς τε βακχεῖον πεσὼν ἔσπειρεν ἡμῖν παῖδα*. Plat. Phaedr. p. 250. E. *Valck*. Diatr. p. 241. *Jacobs*. ad Philostr. q. 363. In numeris nihil opinor vituperandum est, cum hoc ipso trimetri loco *οὐ* saepissime, nec raro *μή* (ut Eur. Andr. 378. El. 51.), et *ποῖ* (Alc. 943.) et *σῷ* (Hel. 978.) posita reperiantur. Haec adversantur *Elmsleii* (ad Eur. Med. 326.) corrigendi studio. —

Implicata cum his est atque cohaeret quodam modo pervulgata illa dicendi forma, qua, quae quidem partes corporis animique potissimum afficiantur, personae nomini solent apponi: quod genus Homero iam usurpatum *σχῆμα καθ' ὅλον καὶ μέρος* vocant; cf. *Naegelsb*. ad Il. 2, 451. 3, 438. *Pors*. ad Eur. Hec. 800. *Mehlhorn*. de appos. p. 7 sq. *Pflugk*. ad Eur. Heracl. 63. *Matth*. Gr. §. 421. 5. *Rost*. §. 101. 3. *Bernh*. S. p. 120. Neque opus est de hac re disputare copiosius, quare ut brevissimis verbis potero comprehendam. Exempla haec sunt: Ai. 1063: *αὐτὸν οὔτις ἔστ' ἀνὴρ σθένων τοσοῦτον, ὥστε σῶμα τυμβεῦσαι τάφῳ*. O.C. 113: *καὶ σύ μ' ἐξ ὁδοῦ πόδα κρύψον*, de quo loco cf. *de ub. Soph. I. p.* 12. — Ph. 747: *πρόχειρον εἴ τί σοι-χεροῖν*. 1301: *μέθες με-χεῖρα*. O.R. 718: *καί νιν ἄρθρα ἐνζεύξας ποδοῖν*. Fr. 303: *πιστοί με κωχεύουσιν-δέμας*. Ant. 974: *Φινείδαις-ἕλκος ἀρακτὸν-ὀμμάτων κύκλοις*.

2. Deinceps ut erat propositum de repetitione pronominum dicatur. Saepius enim vel nomine praegresso vel pronomine, nonnullisque interiectis non tam negligentia quadam, in quam inciderunt posterioris aetatis scriptores (cf. *Wopk*. Lectt. Tull. p. 263 sq.), quam perspicuitatis maxime gratia cum gravitate pronomina orationi inseruntur. Quam gravitatem, ut ab exemplo perquam luculento exordiar, nemo non agnoscit in custodis verbis Ant. 234: *τέλος γε μέντοι δεῦρ' ἐνίκησεν μολεῖν σοί*, quod pronomen si sustuleris, vix dici potest, quam multum de singulari orationis vi detrahatur. Tollendum autem duxerunt et *Wund*. et *Emperius*. At ut non dicam de natura custodis et consuetudine copiose enarrandi, consentaneum illud, ipsa collocationis insolentia satis insignitum, personae perturbationi. Exprimitur enim ipsis verbis consilii, quod custos post multam haesitationem tandem ceperit, admirabilis audacia: nec minore vi pronomen v. 274. collocatum est in ipso versus initio. Sed ut eo redeam unde egressus sum, adiicitur perspicuitatis causa pronomen,

praesertim enunciato relativo interposito, velut Ant. 198 sq.: *τὸν δ' αὖ ξύναιμον τοῦδε, Πολυνείκην λέγω, ὃς κτλ. — τοῦτον κτλ.* Item Tr. 820. O.R. 385. Tr. 287 sqq., ubi iteratio nescio an solutiori congruat sermonis filo, aeque ac Ph. 766. — Fr. 104, 2. autem, quae perperam Sophoclis feruntur, quantum pron. habeat ponderis, per se patet. — Porro cf. O.R. 248: *κατεύχομαι δὲ τὸν δεδρακότ'-κακὸν κακῶς νιν ἄμορον ἐκτρῖψαι βίον*, de quo loco commode exposuit *Schneidew*. Cf. *Pors*. ad Eur. Hec. praef. p. XII. et O.R. 270 sq. *Herm*. ad *Elmsl*. Med. p. 399. *Witzschel*. et *Klotz*. ad Med. 1296. *Buttm*. ad S. Ph. 766, deque Latinorum scriptorum simili loquendi consuetudine Cic. Ep. ad Qu. F. II, 4, 1. p. Mur. §. 29. p. Clu. §. 17. *Kritz*. ad Sall. Cat. 37, 4. *Halm*. ad Cic. p. Sest. §. 59. p. 184. *Jordan*. ad Cic. p. Caec. 25, 73. p. 253. *Kuehn*. ad Tusc. III, 8, 18. *Seyff*. ad Lael. p. 125. — Idem vero pronomen iteratum legitur Tr. 218: *ἰδού μ'. ἀναταράσσει εὐοῖ μ' ὁ κισσός*, et O.C. 1278: *ὡς μή μ' ἄτιμον, τοῦ θεοῦ γε προστάτην, οὕτως ἀφῇ με*. Ib. 1407: *μή τοί με, - μή μ' ἀτιμάσητε*, quae repetitio uti manifestum commoti animi signum est (cf. Plaut. Aul. III. 6. 15.). sic Ph. 349: *οὐ πολὺν χρόνον μ' ἐπέσχον μή με ναυστολεῖν ταχύ* consentaneam apparet eam esse expedito narrationis flumini, quae solet esse verbosior; cf. Tr. 1197., ubi *σῶμα τοὐμόν*, quod praecessit, iteratur. Ib. 688. (*κἄδρων τοιαῦτα*). Ph. 265 sqq. (*ἔρημον*). 292 (*πρὸς τοῦτο*). O.R. 1270—76. *Ellendt*. L. S. l. p. 481. *Nauck*. Eur. Stud. I. p. 98. — Venio nunc ad pronomina demonstrativa, quae relativis antegressis nonnunquam adduntur, aut ut efferantur ea, quae significata sunt, tanquam gravissima, aut ut quae inter se contraria sunt, sub adspectum clarius cadant. cf. *Pflugk*. ad Eur. Andr. 651. *Kuehn*. ad Xen. Mem. I. §. 24., ac de simili Latinorum more *Kuehn*. ad Cic. Tusc. IV, 14, 32. *Zumpt*. ad Cic. p. Mur. §. 31. p. 58. In hoc genere est Tr. 137: *ἃ καὶ σὲ τὰν ἄνασσαν ἐλπίσιν λέγω τάδ' αἰὲν ἴσχειν*, cf. *Bernh*. S. p. 278. Eur. Andr. 651: *ἣν χρῆν σ' ἐλαύνειν τήνδ' ὑπὲρ Νείλου ῥοάς* vero pronomen *τήνδε* recte videntur corruptum habere. — Neque obscura est ubertatis ratio Ph. 315: *οἷς Ὀλύμπιοι θεοὶ δοῖέν ποτ' αὐτοῖς ἀντίποιν' ἐμοῦ παθεῖν*, quam librorum scripturam a Porsoni dubitatione iure tutatus est *Herm*. Op. I. p. 224. ad Vig. p. 885., quamquam confusionem istam duarum locutionum repudio penitus atque aversor. Solent autem exsecrantes, quae pestis sibi importata est, eandem exoptare ac precari exitii auctoribus; cf. Ph. 275: *οἷ' αὐτοῖς τύχοι*. Tr. 820. 1039. Ant. 927. Eur. Hec. 1276. Iph. A. 464. Verg. Aen. VIII, 484. *Vechn*. Hellenol. p. 578 sq. Accedit quod hoc ipso loco *αὐτοῖς* contraria habet quae insequuntur: *ἀντίποιν' ἐμοῦ*. —

3. Tertius locus est participiorum eiusdem potestatis verbis finitis adiectorum, de quibus prudenter, ut solet, *Lobeck*. exposuit ad Ai. 757. et Paral. II. p. 552. Bipartita est autem huius usus ratio. Aut enim, quod maxime pervulgatum est, participio, quo quid tempore, quo loco, quaque conditione fiat, significatur, ut O.C. 252: *οὐ γὰρ ἴδοις ἂν ἀθρῶν*, ubi vide *Wund*., et Aesch. Ag. 1592. Adesp. fr. 16, 2. *Doed*. Spec. ed. Soph. p. 104., vel Plat. Hipp. min. p. 371. B.: *λέγων - πρὸς τὸν Ὀδυσσέα ἔφη*, quibuscum comparaverim Ai. 1096: *τοιαῦθ' ἁμαρτάνουσιν ἐν λόγοις ἔπη* —, vel Rhes. 940: *ἔδρασε δράσας·* sed de hac re hoc loco non disputo:[8] aut quo modo quid efficiatur, quaeque praecipua verbi

[8]) Memini hoc loco eorum, quae Oed. C. 307. leguntur: *ὥστε κεἰ βραδὺς εὕδει, κλύων σου δεῦρ' ἀφίξεται ταχύς*, quae haud exiguas habent difficultates. Nec mihi in animo est defendere, quae desperarunt interpretes fere omnes. Plerique enim *Brunckii* coniecturam (*ἕρπει*) amplexi sunt, quam praecedentibus confirmari putat *Hermannus*. Mihi secus videtur. Nihil admodum enim ea continent, quo eundi tarditas possit explicari, cuius mentio apta esset, ut quidem ego sentio, si breve iter, non longum chorus dixisset. Hoc vero iis, quae praecedunt, efficitur, ut quamvis longum iter sit, ita ut brevi quidem tempore vix nuncius de Oedipo ad regem perfe-

vis sit, participio vel definitur accuratius vel amplificatur: ut Tr. 427: οὐκ ἐπώμοτος λέγων δάμαρτ' ἔφασκες Ἡρακλεῖ ταύτην ἄγειν; Ant. 1054: καὶ μὴν λέγεις ψευδῆ με θεσπίζειν λέγων. O.C. 1327: ἱκετεύομεν ξύμπαντες ἐξαιτούμενοι-εἰκαθεῖν. quod idem fere valet atque: ἱκετεύομέν σε πάντες οἵδε πρόστροποι. (O.R. 41.) cf. Ph. 773. O.C. 1309. 50. Ai. 831. — Eiusdem generis est Ai. 1164: σπεῦσον ταχύνας. h. e. ταχέως, notumque illud: φεύγοντα φυγεῖν ap. Plat. Hipp. mai. p. 292. A. cf. *Wernicke* ad Tryphiod. 298. et 333. *Porson.* ad Eur. Ph. 1231. *Bernh.* S. p. 275. Nec dissimile est quod chorus exsultans laetitia dicit Ant. 100: ἀκτὶς ἀελίου τὸ κάλλιστον-φανὲν-φάος. ἐφάνθης. defenditurque eiusmodi locis librorum scriptura ap. Arist. Equ. 526: ὃς πολλῷ ῥεύσας ποτ' ἐπαίνῳ διὰ τῶν ἀφελῶν πεδίων ἔρρει contra *Fritzschii* (Quaestt. Arist. p. 259.) coniecturam ῥέψας, quam collaudavit *Hermann.* (Zimmerm. Ephem. 1837. p. 724.); de forma autem participii illius cf. praeter Lycurg. Leocr. p. 160, 1. (Plut.) de fluv. 3. 4. 10. 1: ἐκ δὲ τοῦ ῥεύσαντος αἵματος. Iisdem usus conieci (Ann. phil. Suppl. XVII. p. 292.) Oed. C. 521. scribendum esse: ἤνεγκον κακότατ', ὦ ξένοι, ἄκων μὲν ἐνεγκών, θεὸς ἴστω, τούτων γὰρ ἐπακτὸν οὐδέν, cll. Schol. ad Tr. 490. Suid. v. ὅρκος ἐπακτός, quam emendationem comprobavit partim *C. F. Hermann.* (Phil. IX. p. 586.), eiusque ne nunc quidem me poenitet. — Quibus addo Tr. 1064: γενοῦ μοι παῖς ἐτήτυμος γεγώς h. e. δίκαιος γόνος, cf. *de ub. I. p. 9 sq.* [9]) Pleonasmo autem propius est Ant. 764: σύ τ' οὐδαμὰ τοὐμὸν προσόψει κρᾶτ' ἐν ὀφθαλμοῖς ὁρῶν, quibus tamen verbis quam apte vehementissima animi commotio exprimatur, quivis opinor sentiet. Quo quidem loco uti studium ac desiderium Creontis oculis filium adspiciendi in omne tempus nunquam expletum iri luculenter sensibus subiicitur, sic Il. 26. 316 sq. urbem *Homerus* describit velut continenti flamma ardentem incendioque usque crescente ac pervadente latius conflagrantem: cf. Il. 11. 62. cl. 8. 556. — Quod nuncium denique Ai. 757 poeta dicentem facit: ὡς ἔφη λέγων. custodemque Ant. 227: ψυχὴ γὰρ ηὔδα πολλά μοι μυθουμένη, ex eo intelligitur, quam sapienter Sophocles orationis colorem

ratur, tamen ex viatoribus, quis adsit, auditurum illum esse verisimile chorus dicat. Ad hanc autem sententiam haec iam accommodata videtur esse chori oratio: ὥστε κεἰ βραδὺς
κλύει, κλύων σοῦ δεῦρ' ἀφίξεται ταχύς. h. e. *ut, licet sero edoceatur, de tuo quidem adventu edoctus huc pervenire festinaturus sit.* — Quam vim cum non temere hoc loco adiectivo βραδύς tribuisse mihi videar, idem facere Ai. 738: βραδεῖαν ἡμᾶς ἆρ' ὁ τήνδε τὴν ὁδὸν πέμπων ἔπεμψεν, ἢ ἐφάνην ἐγὼ βραδύς aliquantum dubito. Haec enim interpretati: *aut Teucer sero me misit, aut ego adveni sero*, inepte loquentem facimus nuncium, qui hoc non potest dubitare, quin sero ipse venerit. Ad rem accommodate sic diceret: *aut Teucer sero me misit, aut ego tardior fui (ut sero advenirem).* Quam quidem esse vim verborum, facile concederem, si certum esset, βραδεῖαν ὁδὸν πέμπειν significare: sero mittere. Certe Tr. 395: ξὺν χρόνῳ βραδεῖ μολών non ea sunt, quae omnem mihi scrupulum eximant. Adde quae chorus respondet: τί δ' ἔστι χρείας τῆσδ' ὑπεσπανισμένον; quae requirere videntur, quo apte referantur. Quocirca corrigendum esse arbitror:
ἀχρεῖον ἡμᾶς ἆρ' ὁ τήνδε τὴν ὁδὸν
πέμπων ἔπεμψεν, ἢ ἐφάνην ἐγὼ βραδύς, h. e.: *frustra igitur Teucer operam dedit* (ignorans nimirum, hac mandati opera *nihil profici*), *ut mandata huc deferrem, aut ego tardior fui.* —

[9]) Haec memoriam referunt eorum quae Aiax dicit Ai. 547: εἴπερ δικαίως ἔστ' ἐμὸς τὰ πατρόθεν, cuius loci *Priscianus* sine dubio meminit Inst. XVII, 168., ubi haec leguntur: Sophocles Αἴαντι: δίκαιος γόνος pro ἀληθής. cf. XVIII, 206. Atque hac auctoritate sane haud contemnenda fretus nuper *Nauckius* coniecit scribendum esse: ἐμὸς δίκαιος ὢν γόνος τὰ πατρόθεν. Verum si aliquid mutandum est, quod integrum relinquo, non exegerim suo loco εἴπερ, malim equidem utpote ab aliena manu profecta eiicere ἐμὸς τά, quae facilius nisi fallor ad versus numeros conficiendos poterant irrepere. Quod si verum est, non male corrigi concedes: ΔΙΚΑΙΟCΜΟΥCΤΙΠατρόθεν κτλ. h. e. εἴπερ δίκαιός μοὐστὶ πατρόθεν γόνος. cf. O.C. 215: τίνος εἶ σπέρματος—πατρόθεν. Γόνος autem propter antecedentis versus extremum vocabulum φόνον facile intercidit. — Item evanuit, quod antiquitus scriptum erat, Ai. 300. *Boissonadio* enim assentior, ἐν ποίμναις πίτνων et depravatum esse et importune e v. 185. ascitum existimanti. Inepte enim, cum v. 297. Tecmessa exposuerit, quas beluas Aiax domum suam introduxerit, quidque fecerit iis, illud quasi adhaeret. Fortasse vestigia eorum, quae a poeta scripta erant, nimirum prope exstincta, similia iis erant, quibus oratio post foedata est. Quid vero scripserit Sophocles, quamquam difficile est divinare, periculum tamen faciam. Et ad sententiam accommodatum et a literarum similitudine satis probabile videtur esse: ἐν τόλμαις φρενῶν cf. v. 46. Eur. El. 277. Iph. T. 863. —

ad mores personarum accommodet. Solent enim isti homines et quae acceperunt copiosius fusiusque enarrare, et sermone uti prope quotidiano. Unde haec ipsa fluxit redundantia, quae saepius legitur apud *Aristophanem* (Av. 742. Vesp. 795.) et apud *Herodotum*: ex eodemque fonte manavit repetitio illa verborum dicendi perquam usitata, ut Tr. 172: τοιαῦτ' ἔφραζε- ὡς τὴν παλαιὰν φηγὸν αὐδῆσαί ποτε- ἔφη. cf. Xen. Cyr. I. 6. 16. II, 2. 3. *Bornem.* ad Cyr. I, 3. 8. *Frotsch.* ad Hier. 1. 7. *Breitenb.* ad Oecon. 8. 2. *Heind.* ad Plat. Charm. §. 27. —

4. Sequitur ut de eo ubertatis genere dicam, quo, quae affirmando pronunciata sunt, eadem negatione contrarii confirmantur gravius. Quo genere nihil est apud Sophoclem frequentius, id quod ne Eustathium quidem fugit, qui p. 645, 16. explicans Homeri illud: κατ' αἶσαν οὐδ' ὑπὲρ αἶσαν (Il. 6. 333.) ἐπιμονήν, inquit, ὁ λόγος ἔχει τὴν κατ' ἦθος ἀληθευτικήν· ὅτι ὅμοιον παρὰ τῷ Σοφοκλεῖ τό, γνωτὰ κοὐκ ἄγνωτά μοι (O.R. 58.), καὶ τό, ἡδὺς οὐδὲ μητρὶ δυσχερής (El. 929.). Cum vero haec res difficultates nullas habeat, brevi praecidam: non enumerabo igitur exempla, quae sunt paene innumerabilia, omnia: universa ratione breviter descripta, de paucis pauca dicam. Aut enim quod negatur antecedit, velut Ant. 84: ἀλλ' οὖν προμηνύσῃς γε τοῦτο μηδενὶ τοὔργον, κρυφῇ δὲ κεῦθε. Tr. 936. Ph. 212. O.R. 122. 956. 1018. 1325. Ant. 446. 1260. Ai. 972., aut contra est; hic autem et οὐδέ adhibetur, ut Ant. 492: λυσσῶσαν αὐτὴν οὐδ' ἐπήβολον φρενῶν, ubi plura affert eiusdem generis exempla *Schneidew.*. O. R. 868. 1289. Ph. 207. O.C. 522. Fr. 754, 1., et καὶ οὐ, velut Ai. 113: τήνδε κοὐκ ἄλλην δίκην. [10]) O.C. 908. 1123. 1129. El. 885. Ant. 443: καὶ φημὶ δρᾶσαι κοὐκ ἀπαρνοῦμαι τὸ μή. Ai. 96. Eur. El. 1057. Soph. Ph. 527. O.C. 935: βίᾳ τε κοὐχ ἑκών. Ai. 858: πανύστατον δὲ κοὔποτ' αὖθις ὕστερον. O.R. 1275: πολλάκις τε κοὐχ ἅπαξ, quae concitato animo nuncius dicit, cum v. 1270. in brevi eiusdem rei significatione breviter locutus sit. Neque ineptam dixerim copiam verborum, qua Tecmessa Ai. 289. utitur ad Aiacem retinendum: convenit enim cum mulieris consuetudini tum animi illius sollicitudini. Cf. *Rehdantz.* ad Dem. VI. 31. p. 173. *Lobeck.* ad Ai. 289. — Nonnunquam sine ulla coniunctione alterum alteri apponitur, ut O.R. 384: δωρητὸν οὐκ αἰτητόν. O.C. 1123. Ant. 397. El. 222. —

5. Proximus locus est enunciatorum, quibus, quod brevius verbo significatum est, copiosius iterum exprimitur. Cuius figurae exemplum maxime luculentum *Hermannus* Op. I. p. 223. laudat: Hom. Il. 9, 124: δώδεκα δ' ἵππους ἀθλοφόρους, οἳ ἀέθλια ποσσὶν ἄροντο, ac plura eius generis ap. Hom. reperiuntur, ut Il. 7. 409: νεκύων κατατεθνηώτων —, ἐπεί κε θάνωσι. Od. 1, 300: πατροφονῆα — ὅ οἱ πατέρα κλυτὸν ἔκτα. 2. 65. 4. 708. 5, 67. 9, 270. Il. 13. 482. cf. *Nitzsch.* ad Od. 1. 300. Hdt. I. 79. 2. VIII. 4: παρὰ δόξαν — ἢ ὡς αὐτοὶ κατεδόκεον. Eur. Or. 396: ἡ σύνεσις ὅτι σύνοιδα. Aesch. Ch. 730: ἦ δὴ κλύων ἐκεῖνος εὐφρανεῖ νόον, εὖτ' ἂν πύθηται. *Ruhnk.* Ep. crit. I. p. 116. *Jacob.* Qu. Luc. p. 17. *Pflugk.* ad Eur. Hec. 489. *Sommer.* de Eur. Hec. III. p. 24. n. 30. Nec praetermitto, quod *Schillerus* noster dicit (Spons. Mess. Prol.): Denn es geziemt der Wittwe,

[10]) Quoniam ad hunc locum disputatio delapsa mea est, praetermittere nolo, quae antecedunt eiusdem Aiacis verba v. 112: χαίρειν, Ἀθάνα, τἄλλ' ἐγώ σ' ἐφίεμαι, in quibus vitii aliquid latere admodum probabile est. Vix enim mihi persuadeo, significari iis, quod interpretes dicere Aiacem volunt: *de ceteris omnia quae vis fieri cupio.* Neque probatur mihi, quod *Hermanno* visum est: „*de ceteris rebus scito nihil mihi tecum esse*;" esset parum modesta haec Aiacis oratio neque congruens eius in deam voluntati. Immo quam vix mentione dignam iudicavit *Lobeckius* optimorum librorum scripturam: ἔγωγέ σ', eam neutiquam duco spernendam; nec dubium est, quin poeta scripserit: τἄλλ' ἔγωγ' ἐφίεμαι, ut non opus sit acriore illo remedio, quo subvenire afflicto loco *Hartung.* studuit: τἄλλα πάντ' ἐφίεμαι, qui tamen quae necessario requiratur sententia, recte dispexit. Irrepsit autem, nisi me fallit, pronomen, quoniam postulare videbatur nescio cui usitata amandandi formula: χαίρειν σε κελεύω. —

die den Gatten verloren. ihres Lebens Licht und Ruhm. — Atque etiam Sophocles hac ubertate usus est, aut perspicuitatis causa. aut ut perturbatis personarum animis plenior congrueret oratio: velut Tr. 571: *τοσόνδ᾽ ὀνήσει τῶν ἐμῶν. ἐὰν πίθῃ. πορθμῶν. δθούνεχ᾽ ὑστάτην σ᾽ ἔπεμψ᾽ ἐγώ.* Ph. 52: *ἀλλ᾽ ἤν τι καινόν. ὧν πρὶν οὐκ ἀκήκοας, κλύῃς.* quod Ulixes ait. ut Neoptolemi animum ad id. quod dicturus ipse est. advertat. Atque Ai. 555., cum universe dixerit: *ἐν τῷ φρονεῖν γὰρ μηδὲν ἥδιστος βίος.* explicaturus hoc Aiax addit: *ἕως τὸ χαίρειν καὶ τὸ λυπεῖσθαι μάθῃς.* ut vel hac ratione cognoscatur. quam incommode. quae implicata sunt ac cohaerent. versu illo: *τὸ μὴ φρονεῖν γὰρ κάρτ᾽ ἀνώδυνον κακόν* divellantur. cui aliis de causis recte interpretes plerique scalpellum adhibuerunt. Neque vero huc referenda. quae sunt ap. Eur. Ph. 737: *ἑπτ᾽ ἄνδρας αὐτοῖς φασιν. ὡς ἤκουσ᾽ ἐγώ κτλ.* Bacch. 771: *κἀκεῖνό φασιν αὐτόν. ὡς ἐγὼ κλύω.* Med. 287: *κλύω δ᾽ ἀπειλεῖν σ᾽, ὡς ἀπαγγέλλουσί μοι.* quae non sunt amplificantis. sed vim verbi modeste cauteque coercentis. Amplificatio contra cernitur in hac paedagogi oratione El. 762: *τοιαῦτά σοι ταῦτ᾽ ἔστιν. ὡς μὲν ἐν λόγῳ ἀλγεινά. τοῖς δ᾽ ἰδοῦσιν, οἵπερ εἴδομεν. μέγιστα πάντων. ὧν ὄπωπ᾽ ἐγὼ κακῶν·* cf. *Schneidew.* ad h. l. *Ellendt.* L. S. I. p. 344. — Ai. 968: *ὧν γὰρ ἠράσθη τυχεῖν. ἐκτήσαθ᾽ αὑτῷ. θάνατον. ὅνπερ ἤθελεν.* El. 652: *φίλοισί τε ξυνοῦσαν. οἷς ξύνειμι νῦν.* Ai. 992: *ὦ τῶν ἁπάντων δὴ θεαμάτων ἐμοὶ ἄλγιστον. ὧν προσεῖδον ὀφθαλμοῖς ἐγώ.* Tr. 908: *εἴ του φίλων βλέψειεν οἰκετῶν δέμας. ἔκλαιεν ἡ δύστηνος εἰσορωμένη.* quem locum bene *Schneidew.* explicavit. Inelegans vero ac putida exstat orationis redundantia Ai. 152: *περὶ γὰρ σοῦ νῦν εὔπιστα λέγει. καὶ πᾶς ὁ κλύων τοῦ λέξαντος χαίρει μᾶλλον τοῖς σοῖς ἄχεσιν καθυβρίζων.* quae verba *Wunder.* sic interpretatur: Et quicunque audit. *maiore cum voluptate, quam is qui dixit.* tuis aerumnis insultat: qua interpretatione non solum ab hoc loco alienam. sed ineptam effici sententiam quivis videt. ac luculenter exposuit *Hartungius.* Coniungendum *μᾶλλον* est cum iis quae sequuntur. *τοῦ λέξαντος* vero cum verbo *ὁ κλύων.* ut *Ulixes* significetur, ex quo audiant ceteri. non *πᾶς ὁ λέγων.* id quod visum est *Schneidewino.* Huic enim interpretationi obstat aoristus. Verum ne Ulixem quidem verbis *τοῦ λέξαντος* saltem significari posse facile concedo. Neque tamen adducor, ut Nauckio assentiar, qui *τοῦ λέξαντος* ab homine male sedulo comparativi *μᾶλλον* gratia additum opinatur; quod ut factum sit Eur. Ph. 1389. (cf. *Nauck.* Eurip. Stud. I. p. 92.), Sophoclis orationem hac sedulitate foedatam temere esse. vix mihi persuadeo. Corrupta vero sunt verba *τοῦ λέξαντος.* atque coniecturae ope ad sanitatem quasi reducenda. Nec difficile est vitium illud per multa quidem saecula propagatum tollere. divellas modo quae perperam conglutinata sunt. divulsaque immutes leviter. Pro

ΤΟΥΛΕΞΑΝΤΟΣ enim

scribendum sine dubio: *ΤΟΥΔΕΞΑΝΔΡΟΣ.* h. e. *τοῦδ᾽ ἐξ ἀνδρός.*[11]) Licet enim raro

11) Quam huic loco medicinam adhibui. eadem, nisi fallor, subvenire licet verbis paedagogi in Electrae prologo, quae laborare aliquantum idem Nauckius, qua est acie ingenii, primus dispexit: dico autem haec v. 20:

πρὶν οὖν τιν᾽ ἀνδρῶν ἐξοδοιπορεῖν στέγης,
ξυνάπτετον λόγοισιν.

Atque offensioni illi fuit verbum *ἐξοδοιπορεῖν*, quod nisi hoc loco nusquam legitur, ac nimis sane ut in tenui oratione et cohortatione grande est atque magnificum. Quam quidem offensionem tolli facillime arbitror hac emendatione:

πρὶν οὖν τιν᾽ ἀνδρῶν ἐξ ὁδοῦ περᾶν στέγης κτλ.,

h. e. priusquam ex limine aedium quis egrediatur; cf. O.R. 531: *ὅδ᾽ ἤδη δωμάτων ἔξω περᾷ.* Ant. 386: *ὁ δ᾽ ἐκ δόμων ἄψορρος εἰς δέον περᾷ.* Eur. Iph. A. 1533: *δόμων ἔξω πέρασον.* Herc. f. 701: *οἴκων ἔξω περᾷς.* Iph. T. 724: *γυνὴ γὰρ ἥδε δωμάτων ἔξω περᾷ.* Phoen. 981: *ἐκ δὲ τῆσδε ποῖ περῶ;* Or. 1572: *μὴ δόμων εἴσω περᾶν.* Defendi vero possit etiam: *ἔξοδον περᾶν στέγης* exemplis similibus (cf. Plat. Legg. IX. p. 856. E.: *ἐξόδου τῆς πατρίδος,* cl. Nauck. ad Soph. Tr. 155.), sed multo praestat. opinor, quod supra posui. —

κλύειν ἔκ τινος dicatur. neque inveniatur apud Sophoclem, apud Homerum tamen legitur Od. 19. 93: *ἐπεὶ ἐξ ἐμεῦ ἔκλυες αὐτῆς·* significat autem pariter atque *audire ex* aliquo. de quo cf. *Klotz.* Lex. v. *audio.* i. q. *ex ipso* comperire *praesente.* Atque haud scio an consulto hanc constructionem poeta elegerit, illudque addiderit: *τοῦδ᾽ ἐξ ἀνδρός,* ut cum cupiditas quaedam sitisque hominum tecte perstringatur. ex ipso fictorum criminum auctore audiendi. tum quam fidem habeant auctoritatemque rumores illi ac crimina, significetur. Sed ad institutam disputationem revertor. O.C. 737: *ἀπεστάλην-οὐκ ἐξ ἑνὸς στείλαντος* copiose Creon sese legatum missum esse affirmat. ut legationis appareat auctoritas. Neque obscurum est poetae consilium Ai. 260: *οἰκεῖα πάθη, μηδενὸς ἄλλου παραπράξαντος.* O.C. 93: *ἄτην δὲ τοῖς πέμψασιν, οἵ μ᾽ ἀπήλασαν,* quae verba bene illustrat *Schneidew.* Atque ex hac dicendi consuetudine salus petenda videtur iis. quae Creontis verba O.R. 1477. leguntur: *ἐγὼ γάρ εἰμ᾽ ὁ πορσύνας τάδε. γνοὺς τὴν παροῦσαν τέρψιν. ἥ σ᾽ εἶχεν πάλαι.* Absurdum est enim *παροῦσαν,* quod nemini miror offensioni fuisse. pro eoque scribendum:

γνοὺς τὴν (vel: *σὴν*) *προσοῦσαν τέρψιν. ἥ σ᾽ εἶχεν πάλαι.*

h. e. *propriam tuam delectationem*: quod imperite mutatum est, ut contrarium scilicet exstaret voci *πάλαι.* cf. Ai. 1079: *δέος γὰρ ᾧ πρόσεστιν αἰσχύνη θ᾽ ὁμοῦ.* Fr. 757: *ὅτῳ δ᾽ ἔρωτος δῆγμα παιδικοῦ προσῇ.* El. 654. Eur. El. 254: *ἡ δ᾽ εὐσέβεια τίς πρόσεστι σῷ πόσει;* Neque alienum est conferre O.R. 338: *τὴν σὴν δ᾽ ὁμοῦ ναίουσαν* (*ὀργήν*). Dicit igitur Creon consuetudinem filiarum, qua animus Oedipi consueverit semper oblectari. Saepe autem *πρός* et *παρά* confusa esse constat; cf. *Pors.* ad Eur. Or. 679. et praef. ad Hec. p. LVII. — Nec debilitare debebat *Wunder.* coniectura sua vim sententiae. quam Clyt. pronunciat El. 532: *οὐκ ἴσον καμὼν ἐμοὶ λύπης, ὅτ᾽ ἔσπειρ᾽, ὥσπερ ἡ τίκτουσ᾽ ἐγώ.* cf. *Schneidew.* ad h. l. — His adiungo Ant. 87: *πολλὸν ἐχθίων ἔσει σιγῶσ᾽. ἐὰν μὴ πᾶσι κηρύξῃς τάδε.* quae animum produnt magno opere perturbatum. Quod additur autem verbo *σιγῶσα.* id cum plus continet priore, tum significat ea. quae gestit Antigona et concupiscit. Similis igitur exsistit oratio ei. qua usa modo Ismena est. qua similitudine responsi maxime augeri acerbitatem. quis est qui non sentiat? — Denique Ant. 1090: *καὶ γνῷ τρέφειν τὴν γλῶσσαν ἡσυχωτέραν. τὸν νοῦν τ᾽ ἀμείνω τῶν φρενῶν, ἢ νῦν φέρει* coniungi posse *νοῦν φρενῶν.* quod verborum collocatio repugnaret. recte *Schneidew.* negavit. *Erfurdtii* explicationem ille quidem secutus: ac similes huic constructioni locos congesserunt *Pflugk.* ad Eur. Heracl. 298. *Klotz.* ad Dev. II. p. 580 sq. *Halm.* ad Cic. in Verr. IV. 35. 77. Non adducor tamen ut credam, item posse usurpari pronominum loco substantiva. Unde vel repugnanti mihi renascitur identidem suspitio. coniectura laboranti loco succurrendum esse: ac ne *ἀσύμβολος* discedam. dicam quod sentio. Fortasse scripsit poeta: *τὸν νοῦν τ᾽ ἀμείνω τῶν γε νῦν φέρειν φρενῶν.* —

His expositis. relinquere nolo copiosam quandam sententiarum formam. ita quidem comparatam. ut duplex exstet enunciati apodosis. Quae orationis ubertas quantopere cum diligenter enarrandi studio. tum animi concitationi consentanea sit, facile est intellectu. Apposite igitur ad fortunae tristitiam. quam describit nuncius. oratio conformata est O.R. 1277 sqq.: *φοίνιαι δ᾽ ὁμοῦ γλῆναι γένει᾽ ἔτεγγον, οὐδ᾽ ἀνίεσαν φόνου μυδώσας σταγόνας. ἀλλ᾽ ὁμοῦ μέλας ὄμβρος χαλάζης αἱμάτων ἐτέγγετο. Τάδ᾽ ἐκ δυοῖν ἔρρωγεν οὐ μόνῳ κακά. ἀλλ᾽ ἀνδρὶ καὶ γυναικὶ συμμιγῆ κακά.* in quibus ipsum *ὁμοιοτέλευτον.* a viris doctis multum illud lacessitum. aliquantum habet ponderis: cf. 777. Ph. 878. quo loco versus pariter concludi maluit poeta. quam immutari verborum ordi-

nem.[12] — Deinde cf. Ai. 1111 sq.: *οὐ γάρ τι τῆς σῆς οὕνεκ᾽ ἐστρατεύσατο γυναικός. ὥσπερ οἱ πόνου πολλοῦ πλέῳ, ἀλλ᾽ οὕνεχ᾽ ὅρκων-σοῦ δ᾽ οὐδέν.* Praeterea cf. O.R. 338: *ὀργὴν ἐμέμψω τὴν ἐμήν· τὴν σὴν δ᾽ ὁμοῦ ναίουσαν οὐ κατεῖδες, ἀλλ᾽ ἐμὲ ψέγεις,* ubi extrema haec ad illud Oedipi: *ὦ κάκιστε* (v. 334) maxime spectant. — Ant. 466—68; 423—27; O.R. 164—66; Tr. 431—33; Ai. 627 sqq. —

6. Venio denique ad id copiosae orationis genus, quod ego mihi extremum proposueram, frequentationem vocabulorum, quae idem aut fere idem significant. Ad hunc autem locum disputatione deducta mea, quod superioribus demonstrare studui, idem nunc comprobare meum est, caute abstinuisse Sophoclem redundanti oratione ac circumfluenti. Ac profecto in hoc quoque genere sapientiam poetae ac moderationem, qua excellit et praeter Aeschylum et praeter Euripidem, non satis possumus admirari. Aeschylus enim, qui est eius in dicendo tumor, haud raro vocabula congregat similia, ut hunc verborum quasi strepitum turbamque de pleonasmis eximere merito dubites. Quapropter *Aristophanem* invenit redundantiae suae acerbum castigatorem, qui in eximia illa, quam admirabili arte composuit, Euripidis Aeschylique concertatione ipsa Aeschylei tumoris exempla ad irrisionem lepide ac facete convertit: Ran. 1152 sqq.:

AI. σωτὴρ γενοῦ μοι σύμμαχός τ᾽ αἰτουμένῳ.
ἥκω γὰρ ἐς γῆν τήνδε καὶ κατέρχομαι.
EY. δὶς ταὐτὸν ἡμῖν εἶπεν ὁ σοφὸς Αἰσχύλος.
ΔI. πῶς δίς; EY. σκόπει τὸ ῥῆμ᾽· ἐγὼ δέ σοι φράσω·
ἥκω γὰρ ἐς γῆν, φησί, καὶ κατέρχομαι·
ἥκω δὲ ταὐτόν ἐστι τῷ κατέρχομαι.
ΔI. νὴ τὸν Δί᾽ ὥσπερ γ᾽ εἴ τις εἴποι γείτονι,
χρῆσον σὺ μάκτραν, εἰ δὲ βούλει κάρδοπον.

cf. *Lobeck.* ad Ai. p. 137 sq. — Ibid. v. 1172 sqq.:

AI. τύμβου δ᾽ ἐπ᾽ ὄχθῳ τῷδε κηρύσσω πατρὶ
κλύειν, ἀκοῦσαι. EY. τοῦθ᾽ ἕτερον αὖ δὶς λέγει,
κλύειν, ἀκοῦσαι, ταὐτὸν ὂν σαφέστατα.

quae ridicule poeta defendentem facit Bacchum:

ΔI. τεθνηκόσιν γὰρ ἔλεγεν, ὦ μοχθηρὲ σύ,
οἷς οὐδὲ τρὶς λέγοντες ἐξικνούμεθα.

Neque aliter de eodem sentit Nub. 1367:

ἐγὼ γὰρ Αἰσχύλον νομίζω πρῶτον ἐν ποιηταῖς,
ψόφου πλέων, *ἀξύστατον* (cf. A. Ag. 1435.), *στόμφακα, κρημνοποιόν.*

cf. *Haupt.* in Ann. phil. Suppl. I. p. 226. et p. 245 sq. Quod ridet autem Aristophanes Ran. l. l., id Aeschylus dixit Cho. 3. Neque vacant similibus eius tragoediae redundantiae exemplis, quae tamen partim excusationem habent quaesitae dedita opera gravitatis: cf. Sept. 36: *σκοποὺς δὲ κἀγὼ καὶ κατοπτῆρας στρατοῦ ἔπεμψα.* 278: *πανδημεὶ πανομιλεί.* 614: *οἵας ἀρᾶται καὶ κατεύχεται τύχας.* 798: *οἱ δ᾽ ἐπιστάται δισσὼ στρατηγώ.* Pers. 241: *οὔ τινος δοῦλοι κέκληνται φωτὸς οὐδ᾽ ὑπήκοοι.* 667: *καινά τε νέα τ᾽ ἄχη* (cf. *Wolff.* ad Ai. 898. *Lobeck.* ad Ai. p. 138.). Prom. 140: *δέρχθητ᾽, ἐσίδεσθε.* 514: *μυρίαις δὲ πημοναῖς δύαις τε* (cf. Hom. Od. 14, 338: *πῆμα δύης*). Eum. 92: *αὐτάδελφον αἷμα καὶ κοινοῦ πατρός.*

[12]) Soph. Fr. 665., de quo loco cf. *Nauck.* Obs. critt. p. 25., scribendum videtur:
τὸ πρὸς βίαν
πίνειν ἴσον πέφυκε τῷ διψῆ ΛΙΑΝ (διψῆν λίαν).

Cho. 325: *πατέρων τε καὶ τεκόντων γόος.* Eum. 1005: *τοὺς ἔνερθε καὶ κάτω χθονὸς τόπους.* Sept. 213: *σφάγια καὶ χρηστήρια,* quae si contuleris cum Sophocleis Ai. 220: *χειροδάϊκτα σφάγι᾽ αἱμοβαφῆ κείνου χρηστήρια τἀνδρός,* quam multo elegantius Sophocles haec consociaverit, facile intelliges: cf. *Schneidew.* ad h. l. — Neque vero pepercit Aristophanes Euripidi, quem suo ipsius quasi gladio iugulat. Glorianti enim v. 1178:

κἄν που δὶς εἴπω ταὐτόν, ἢ στοιβὴν ἴδῃς
ἐνοῦσαν ἔξω τοῦ λόγου, κατάπτυσον.

atque recitanti prologi versiculum sane ieiunum:

ἦν Οἰδίπους τὸ πρῶτον εὐδαίμων ἀνήρ.

Aeschylus respondet facete cavillatus:

Μὰ τὸν Δί᾽ οὐ δῆτ᾽, ἀλλὰ κακοδαίμων φύσει.
ὅντινά γε πρὶν φῦναι μὲν Ἀπόλλων ἔφη
ἀποκτενεῖν τὸν πατέρα, πρὶν καὶ γεγονέναι.

cf. supra p. 8. Idem docuisse eum ait v. 1069:

λαλιὰν ἐπιτηδεῦσαι καὶ στωμυλίαν.

Nimirum Euripides ut profectus a disciplina sophistarum, cum eleganti studeat argutoque dicendi generi, ut „dicendo et respondendo cuilibet eorum, qui fuerunt in foro diserti, sit comparandus,“ consectari prope non sine animi delectatione videtur vocabulorum coniunctionem, quae inter se differre aliquid, subtilem existimatorem haudquaquam fugit. In affectibus vero, ut *Quintiliani* verbis utar, „cum omnibus mirus, tum in iis, qui miseratione constant, facile praecipuus,“ multus idem est et insolens in iterationibus verborum, personarum scilicet vehementem perturbationem istis orationis luminibus illustraturus. Denique cum cordi ipsi sit flumen orationis ac singularis volubilitas, eaque cum quotidiano prope congruens sermone: „incuria quadam, qua in communi loquendi consuetudine plerique omnes ducimur inscii,“ exciderunt ei nonnunquam, quae a dignitate ac sublimitate tragoediae abhorreant. Quod ut exemplis aliquot demonstrem, affero haec: Ion. 1446: *τίν᾽ αὐδὰν ἀΰσω, βοάσω;* Or. 137: *ἡσύχῳ ποδὶ χωρεῖτε, μὴ ψοφεῖτε, μηδ᾽ ἔστω κτύπος.* Ib. v. 140 sq. cf. *Valcken.* ad Ph. 1371. — Ib. 154: *τίνα τύχαν εἴπω, τίνα δὲ συμφοράν;* 1302: *φονεύετε, καίνετε, ὄλλυτε.* Andr. 334: *τέθνηκα τῇ σῇ θυγατρὶ καί μ᾽ ἀπώλεσε.* Ph. 1335: *τίν᾽ εἴπω μῦθον, ἢ τίνας λόγους;* 919: *οὐκ ἔκλυον, οὐκ ἤκουσα.* 1362: *δισσὼ στρατηγὼ καὶ διπλῶ στρατηλάτα.* Hel. 531: *φησὶ δ᾽ ἐν φάει πόσιν τὸν ἀμὸν ζῶντα φέγγος εἰσορᾶν.* Bacch. 617: *οὔτ᾽ ἔθιγεν, οὔθ᾽ ἥψατ᾽ ἡμῶν.* (*Lobeck.* ad Ai. p. 137.). Hipp. 379: *τὰ χρήστ᾽ ἐπιστάμεσθα καὶ γιγνώσκομεν.* (cf. Plaut. Mil. glor. II, 5, 42.). Iph. T. 491: *τὰς γὰρ ἐνθάδε θυσίας ἐπιστάμεσθα καὶ γιγνώσκομεν.* Ib. 231: *ὃν ἔλιπον ἐπιμαστίδιον ἔτι βρέφος, ἔτι νέον, ἔτι θάλος.* Ion. 1463: *ἄπαιδες οὐκέτ᾽ ἐσμὲν οὐδ᾽ ἄτεκνοι.* Hec. 172: *ὦ τέκνον, ὦ παῖ . . ἔξελθ᾽ οἴκων· ἄιε ματέρος αὐδάν, ὦ τέκνον,* quae deridet Aristoph. Nub. 1161. — Porro cf. Alc. 1133: *ὦ φιλτάτης γυναικὸς ὄμμα καὶ δέμας.* cf. *de ubert. I. p.* 18. Herc. f. 1367: *ὁ φύσας χὠ τεκὼν ὑμᾶς πατὴρ ἀπώλεσε.* Med. 1338: *εὐνῆς ἕκατι καὶ λέχους.* cf. *de ub. I. p.* 24. Hipp. 1071: *εἰ δὴ κακός τε φαίνομαι δοκῶ τέ σοι.* cf. Xen. Mem. II, 1, 22. III, 1, 4. *Kuehn.* ad Mem. I, 4, 6. —

Sophocles vero, qui, ut saepius dixi, tumidam Aeschyli et exaggeratam altius orationem insigni gravitate temperavit dulcique suavitate, ita solet in vocabulorum frequentatione versari, ut ornata magis floribus quam onerata oratio appareat. Perfundit animos uti par est ac delectat, concitat vero etiam ac perfringit, si necesse est. Ac cum admirabilis eius ars in moribus personarum sit conveniente orationis colore depingendis, moderate coacervat

similia, ubi postulat aut animi commotio aut hominum, quos loquentes facit, natura. Itaque copia quadam verborum enitent melica maxime carmina, atque uti virorum senumque oratio adstrictior est contractiorque, sic sermo nunciorum mulierumque latiore ac liberiore flumine funditur ac dilatatur: ut in hoc quoque, quod tractamus, genere nullus, si quaerimus, locus exstet, qui pleonasmi nomine recte notetur. Duo enim, quae reperiuntur, inutilis redundantiae exempla, ex fragmentis petita sunt, ut et incertum sit de poetae consilio iudicium, neque de integritate scripturae dubitatio omnis tollatur. Sed de his postea viderimus: rem ipsam nunc aggredior. Ac primum quidem de ea figura, quam vocant *παρηγμένον*, pauca videntur proponenda esse, quam cum *Aeschylus* rarius adhibuerit, *Sophocles* ut frequentissime sic prudentissime usurpavit. Non consectatur enim inanem concinnitatem, sed ita illa utitur, ut rei imaginem expressam ante oculos ponat, describatque, quam vehementer personae animus intima et hominum et rerum necessitudine penitus commoveatur. Quod quidem exemplis aliquot illustrare conabor: cf. Ph. 1129: *ὦ τόξον φίλον, ὦ φίλων χειρῶν ἐκβεβιασμένον*, quae, quam fuerit quasi familiaris Philoctetae cum arcu suo necessitudo, egregie exprimunt. Item Ant. 73: *φίλη μετ' αὐτοῦ κείσομαι φίλου μέτα* fraterni sororisque mutui amoris vincula significari, luce clarius patet. O.R. 929. autem: *ἀλλ' ὀλβία τε καὶ ξὺν ὀλβίοις ἀεὶ γένοιτο* nuncius Iocastae perfectam expletamque omnibus suis numeris ac partibus precatur felicitatem, qua et ipsa et quibuscum vivat, fruantur omnes: quibus quis non sentit, commoveri magno opere debuisse audientes, quippe qui non ignorarent, quam pugnaret summa illa, quam Iocastae Oedipoque nuncius precabatur, felicitas cum utriusque fortuna tristissima? Porro cf. Ai. 267: *ἢ κοινὸς ἐν κοινοῖσι λυπεῖσθαι ξυνών*: h. e. ut schol. verbis utar: *κοινῇ λυπεῖσθαι ἐν φίλοις κοινῇ λυπουμένοις.*[13]) Trach. 613: *θυτῆρα καινῷ καινὸν ἐν πεπλώματι* ipsa verborum traiectio indicat, quam multum tribuat Deianira illi vesti. Quod *Nauckius* autem praeferendum ducit: *κλεινῷ κλεινόν*, ad sententiam non nego esse perquam accommodatum: nihilo tamen minus conveniens illud est, quod ineptum vir doctissimus putat. Hoc enim Deianira curat cum maxime, ut intactam vestem primus induat Hercules, quasi vero metuat, ne contaminetur ea et tactu et adspectu alieno. — Corrupta vero sunt O.R. 230: *εἰ δ' αὖ τις ἄλλον οἶδεν ἐξ ἄλλης χθονός*, nec refert, enumerare coniecturas omnes, quibus sanare viri docti ea studuerunt. Hoc mihi non dubium est, quin peregrinus significetur: huius enim tantummodo personae conveniunt, quae pollicetur Oedipus v. 232. Qua de causa *Nauckii* coniectura non displicet mihi, quanquam praestiterit forsitan: *ἐλθών*. — Ex eodem fonte manarunt haec: O.R. 261: *κοινῶν τε παίδων κοίν' ἄν, εἰ κείνῳ γένος μὴ 'δυστύχησεν, ἦν ἂν ἐκπεφυκότα*, quae cum gravitate dicentem Oedipum aperte propterea poeta facit, ut *communis liberorum progenies orta a parentibus communibus* (*ἐκ κοινῶν*) significetur, *atroxque illa et parentum et liberorum κοινωνία* sensibus subiiciatur. Oedipus autem intima hac coniunctione maxime sese impelli ait, ut Laii interitum persequatur atque vindicet. Non sunt enim *κοινῶν παίδων κοινά* coniungenda, ut idem valeant quod *κοινοὶ παῖδες*, id quod statuerunt *Matth.* Gr. §. 442. 4. pluresque Sophoclis interpretes, sed genetivus *κοινῶν* ex verbo *ἐκπεφυκότα* pendet parentesque indicat communes. cf. Eur. Alc. 325: *ὑμῖν δέ, παῖδες, μητρὸς ἐκπεφυκέναι*. Soph. O.R. 1499: *ὅνπερ αὐτὸς ἐξέφυ*. Ai. 487. 1295. Eur. Bacch. 44. Nihilo secius habet haec oratio aliquid, in quo desideretur elegantia Sophoclea: verborum enim ea est collocatio, ut qui legat prope cogatur coniungere *κοινῶν παίδων*. Quare non alienus equidem sum a coniecturae remedio, cui indulserunt etiam *Hartung.* et *Nauckius.*

[13]) Haec si diligentius consideraveris, controversias, quae de totius loci interpretatione exstiterunt hodie, concedes magnam partem facile dirimi. Demonstrant enim apertissime, non recte schol. v. 269. explicare: *ἡμεῖς ἀντὶ τοῦ ὁ Αἴας νῦν μὴ νοσῶν ὀδυνᾷ ἑαυτὸν διὰ τὰ πεπραγμένα.* Non confundit, id quod Musgravio visum est, Aiacem secum Tecmessa ob fortunarum et amoris coniunctionem, sed communem sibi dicit cum Aiace esse aerumnam atque aegritudinem. Pertinent eodem, quae Tecmessa de Aiacis insania atque aegrimonia postea exponit, ubi v. 273. insaniente illo sese unam ait in dolore fuisse, ad sanitatem vero revocato iam communis ipsam cum Aiace et duplicis cruciari doloris stimulis conqueritur v. 275—77. Itaque vel ob hanc causam improbanda est coniectura illa, quam primus Hermann. v. 269. proposuit: *οὐ νοσοῦντος*, post suo ipsi ingenio invenerunt Bergk. (Ann. phil. Vol 61. p. 239.) et Schneidewin. (Philol. IV. p. 458.), iudicioque suo comprobarunt G. Wolff. (Diar. lit. antiqu. Vol. X. p. 521.), qui tamen nunc aliter sentit, et Rauchenstein. (Ann. phil. Vol. 62. p. 120.) et Enger. (Phil. XV. p. 99.). Nemo autem credo hanc sane artificiosam interpretationem verbis invitis ac prope recusantibus facile probabit: cum Aiax non laboret, nos (h. e. et ego et Aiax) afflicti iacemus. Neque obstat ei, quam supra posui, interpretationi, verbum quo Tecm. utitur, *νοσεῖν*, quippe quod non insaniam tantum, sed omne genus aegritudinis significare soleat, cf. O.R. 60: *οὐκ ἔστιν ὑμῶν ὅστις ἐξ ἴσου νοσεῖ.* Ib. 1061: *ἅλις νοσοῦσ' ἐγώ.* Quod cum non perspiciat chorus respondet: *πῶς τοῦτ' ἔλεξας; οὐ κάτοιδ', ὅπως λέγεις.* Asseverat autem vehementius, nec temere usus copia illa verborum, sese non intelligere, propter ceteras, quibus oratio Tecmessae obscurata videbatur, tenebras. Quas ut aperiam difficultatesque, quibus locus laborare omnino videtur, quantum in me est, tollam, copiosiore opus esse duco disputatione sententiarumque, quae pronunciantur, diligenti explanatione. Ac primum quidem de verbis chori v. 263: *ἀλλ' εἰ πέπαυται, κάρτ' ἂν εὐτυχεῖν δοκῶ* quaesitum est, dicatne se ipsum *εὐτυχοῦντα*, id quod *Hermann.* statuit, an Aiacem, quam interpretationem plerique amplexi sunt. Subtilis hoc de loco Wunderi exstat disputatio in *Cens. ed. Lob.* p. 113 sq., qui effecisse mihi videtur, non posse de sua fortuna ac salute chorum cogitare. Licet enim *ναὸς ἀρωγοί* illi suis commodis non minime consulere videantur (cf. v. 245—54), tamen inepte de semet ipso is diceret, cui respondendum ad ea esset, quae de Aiacis novo dolore ac querelis vehementibus ex Tecmessa modo audierat. Accedit quod etiam in iis, quae sequuntur, de Aiacis potissimum casu, non de fortuna chori agitur. Neque negligenda est vis particulae *ἀλλά*, ipsaque oratio, quae est modeste iudicantis ac fere dubitantis. De Aiacis enim novo dolore ac luctu edoctus, cum causam eius ipse non percipiat, miratus chorus respondet: ***At, si quidem levatus est insaniae morbo, non opus videtur esse luctu; immo haud scio an locus sit εὐτυχίᾳ.*** De sua fortuna opinor minus modeste ac dubitanter loqueretur. Vix denique deesse poterat, quod paene necessarium erat, pronomen *ἐγώ*. Neque vero hoc concedo, necessario audiendum esse pronomen *αὐτόν* (i. e. Aiacem), quod in hac causa haud raro omittitur, ut O.R. 1179: *κατοικτίσας, ὦ δέσποθ', ὡς ἄλλην χθόνα δοκῶν ἀποίσειν, αὐτὸς ἔνθεν ἦν.* Repugnant nisi fallor ea, quae Tecmessa respondet; non de Aiacis enim unius, sed de duplici malo, et Aiacis et suo ipsius, loquitur, unde luculenter apparet, Tecmessam certe ita interpretatam chori sententiam esse, ut de fortunae prosperitate universa, quam nacti iam essent,

cogitasse eum putaret. Quapropter non dubito sic convertere: *at si quidem desiit (insania laborare), haud scio an res bene se habeat;* cf. Tr. 192: *αὐτὸς δὲ πῶς ἄπεστιν, εἴπερ εὐτυχεῖ;* nec repugnarem, si quis scribere mallet: *πάντ' ἂν εὐτυχεῖν*, quod legitur O.R. 88. Hoc addo, dedita opera fortasse ambiguitate quadam dicendi usum poetam esse ad augendam colloquii alacritatem. — His autem propositis transeo ad graviora. Tecmessae verbis cum recte responderit chorus, duplex malum esse maius, illam quidem vix credibile est ea potuisse dicere, quae in libris leguntur: *ἡμεῖς ἄρ' οὐ νοσοῦντες ἀτώμεσθα νῦν*, quamquam singulares quasdam argutias his contineri *Schneidew.* putabat, quas quidem libere fateor me non dispicere; videntur mihi esse argutiores, eaeque ut aptae subtilitati Euripideae, sic parum convenientes et Sophocleae gravitati et naturae fortunaeque Tecmessae ipsius. Quod vero caput est, non consentaneum hoc responsum orationi chori, cui ne Hermanni quidem emendatio (ed. III.): *ἡμεῖς ἄρ' οὖν νοσοῦντες* convenit. Illi enim necessario respondendum erat aut: *nos igitur maiore nunc urgemur malo* (sc. quoniam vere duplex est), aut: *atque nos etiam duplici malo cruciamur;* atque hoc quidem ea potissimum de causa, quod Tecmessa ipsa postea, explicata suae sententiae vi, concludit v. 277: *ἄρ' ἔστι ταῦτα δὶς τόσ' ἐξ ἁπλῶν κακά;* Neque fugit hoc *Schneidewinum*, qui *Phil. IV. p.* 458. convertit: „*wir sind folglich jetzt erst recht in Noth.*“ At enim requiritur, quae necessaria est, maioris mali significatio. Quare ut subveniret sententiae claudicanti Martin. *(de aliqu. loc. Aesch. et Soph. Posn.* 1858. *p.* 25.) scribi iussit: *ἢ δίσσ' ἄρ' οὐ νοσ. ἀ. νῦν*, quam coniecturam viri ingeniosi ita laudavit Enger. l. l., ut praeferendum tamen duceret: *οὐ νοσοῦντος*, quod ferri vix posse supra demonstravi. Quod vero pronomen *ἡμεῖς* sine vi ac praeter necessitatem positum *Martin.* dicit, non possum ei assentiri. Etenim cum chorus modo affirmaverit, duplex malum maius esse, non inepte opinor Tecmessa iam se quidem cum Aiace eiusmodi urgeri dolore respondet. Sed ne hac quidem coniectura locus sanatur. Offendit enim, ut non dicam de particula *ἤ*, quae mihi non admodum hic placet, vocabulum *ἄρα*, quo uti ita tantum hoc loco potest Tecmessa, ut gravius se laborare dicat, sc. quoniam duplici malo laboret. Aptum foret *ἄρα* in fine orationis, expositis nimirum causis, unde facile eluceret, duplicem esse, qua laborarent, calamitatem. Atque, ut dicam denique, quod sentio, vitium latere videtur in vocabulis *ἄρ' οὐ*, praesertim cum, quae est scripturae in libris varietas, in his eam constet esse. Arbitror autem

pro: *ἡμεῖς ΑΡ ΟΥΝοσοῦντες ἀτώμεσθα νῦν*

scribendum esse: *χἠμεῖς ΔΙΠΛΟΥΝ νοσοῦντες ἀτώμεσθα νῦν*, h. e. *atque nos etiam duplici nunc aegritudine urgemur;* quod responsum quam sit consentaneum orationi chori, per se patet. At particulam *οὐ* tolli vetant, quae leguntur v. 271: *ἡνίκ' ἦν ἐν τῇ νόσῳ*, et v. 274: *ὡς ἔληξε κἀνέπνευσε τῆς νόσου.* Quid? si haec ipsa causa fuerunt, quare, literis nescio quo modo obscuratis, illud *οὐ* in alienum locum quasi infusum esse statuamus? Quo infirmatur etiam, quod in Nauckii coniectura (Diar. lit. antiqu. 1855. p. 111.): *ἔχεις ἄρ' οὐ νοσ. ἀτώμ. νῦν* Enger. l. l. vituperavit, quae coniectura non apta ad sententiam sane non est, quamquam aperta desideratur atque distincta confirmatio eius sententiae, quam et chorus expressit: *τὸ διπλάζον μεῖζον κακόν*, et Tecmessa v. 277. —

Hic enim proposuit: *κοινῶν τε παίδων κύματ' εἰ κτλ.*; ille vero: *κοινῶν δὲ παίδων σώματα*, quae tamen circumlocutio ne apta quidem hoc loco esse videtur. cf. *de ub. I. p.* 22. Equidem scripserim:

καὶ νῷν γε παίδων κοίν' ἂν κτλ..

quod nescio an ipse scholiasta legerit, cum dicat: *ἀδελφὰ τοῖς ἐξ ἡμῶν· οἷον καὶ ἡμῖν ἂν ἐγένετο, εἰ ἦν τέκνα τῷ Λαΐῳ γενόμενα.* — Sed redeo ad reliqua huius generis exempla: Ai. 467: *ξυμπεσὼν μόνος μόνοις*, quae consociat poeta ad audaciam praedicandam gravius. uti v. 1283: *Ἕκτορος μόνος μόνου.* [14]) Verum quid plurium locorum opus est explanatione in causa satis perspicua et manifesta: solent enim cuiusvis generis scriptores paria paribus sic coniungere. velut Xen. Hier. 6. 1: *ξυνῆν ἡλικιώταις ἡδόμενος ἡδομένοις*, nec sprevit *Schiller.* noster (cf. Spons. Mess. V. p. 425.): Und so erwuchs ich *still am stillen Orte.* — Reliquos locos, qui apud Sophoclem leguntur, indicabo breviter: El. 1142: *σμικρὸς-ἐν σμικρῷ κύτει.* Ant. 142: *ἴσοι πρὸς ἴσους.* Ph. 685: *ἴσος ἔν γ' ἴσοις ἀνήρ.* 135: *ἐν ξένᾳ ξένον.* O.C. 184: *ξεῖνος ἐπὶ ξείνης.* O.R. 222: *ἀστὸς εἰς ἀστούς.* Ai. 621: *ἄφιλα παρ' ἀφίλοις.* El. 520: *πολλὰ πρὸς πολλούς* (cf. Eur. Ion. 381.). O.R. 479: *μέλεος μελέῳ ποδί.* Ant. 977: *μέλεοι μελέαν πάθαν.* 1311: *δείλαιος-δειλαίᾳ δύᾳ.* Ai. 735: *νέας βουλὰς νέοισι-τρόποις.* O.C. 1259: *γέρων γέροντι συγκατῴκηκεν πίνος·* cf. *Schneidew.* ad h. l. Ib. 1109: *δυσμόρου γε δύσμορα.* El. 742: *ὀρθὸς ἐξ ὀρθῶν δίφρων·* cf. *Pflugk.* ad Eur. Herc. f. 128. Leviter denique satis est significare. eiusdem generis esse El. 589: *εὐσεβεῖς κἀξ εὐσεβῶν*, al., de quibus disputavi *de ub. I. p. 9. n.* 20. cf. *Dissen.* ad Dem. de cor. §. 10. p. 171. —

Deinde similiter adiectiva cum adverbiis suis coniunguntur. ut Ai. 1177: *κακὸς κακῶς ἄθαπτος ἐκπέσοι χθονός*, qua figura in exsecrando maxime uti solent, scelesto significantes dignum convenire supplicium: cf. Ai. 839. Ph. 1369. Fr. Adesp. 96. Eur. Cycl. 268. Tro. 446. 1055. Ar. Equ. 2. Dem. de cor. §. 267. *Baehr.* ad Plut. Flam. 10. p. 104. *Voegelin.* ad Plut. Brut. 33. *Ellendt.* L. S. I. p. 908. cl. Eur. Hec. 903: *πᾶσι γὰρ κοινὸν τόδε-τὸν μὲν κακὸν κακόν τι πάσχειν, τὸν δὲ χρηστὸν εὐτυχεῖν.* Or. 413: *οὐ δεινὰ πάσχειν δεινὰ τοὺς εἰργασμένους.* Fr. inc. 1036. 4: *κακὸν γὰρ ἄνδρα χρὴ κακῶς πάσχειν ἀεί.* Simonid. ap. Plat. Prot. p. 344. E. — Praeterea cf. Ai. 1137. El. 198. Ph. 166. — Nonnunquam usu venit, ut non eadem, sed similis significationis vocabula hunc in modum consocientur. velut Tr. 608: *πρὶν κεῖνος αὐτὸν φανερὸς ἐμφανῶς σταθεὶς δείξῃ*, qui locus insignis etiam est traiectione verborum. qua haud raro Soph. utitur, ut quae in sententia gravissima sunt, proxime ea collocentur. ut Tr. 613. El. 989: *ζῆν αἰσχρὸν αἰσχρῶς τοῖς καλῶς πεφυκόσιν.* Tr. 111: *κακὰν δύστανον ἐλπίζουσαν αἶσαν.* El. 124: *τὸν ἐκ δολερᾶς ἀθεώτατα ματρὸς ἁλόντα.* Ant. 1330 sq. Item saepius poeta distinxit orationem variando: cf. Ant. 155: *νεοχμὸς νεαραῖσι θεῶν ἐπὶ*

[14]) Haec scribenti mihi in mentem veniunt, quae Minerva dicit Ai. 47: *νύκτωρ ἐφ' ὑμᾶς δόλιος ὁρμᾶται μόνος.* ubi pro *μόνος* forsitan quispiam putaverit non inepte scribi: *μανείς*, cum praesertim de *furore audaciaque* Aiacis, quae fuerit, Ulixi interroganti v. 46: *ποίαισι τόλμαις ταῖσδε καὶ φρενῶν θράσει* dea respondeat; cf. Ant. 135: *μαινομένα ξὺν ὁρμᾷ βακχεύων ἐπέπνει.* Sed non audeo tentare locum quippe ea recordatus, quae v. 29. et 294 leguntur. Quo consilio vero poeta Aiacem dixerit *μόνον* ad facinus patrandum exiisse noctis silentio. neque *Schneidew.* vidit, neque recte interpretatus *Wolffius* est. Confidentia enim illa, quam describi hic arbitratur, consentanea esset moribus sani hominis, non iracundia est prope furentis, non eius Aiacis, qui *νύκτωρ* ac *δόλιος* res suas gesturus sit. Quod sensisse videtur *Wolffius;* idem tamen quod putat, Aiacem significari *conscios non habere,* non minus fallitur; nam neque quaesivit unquam de ea re Ulixes, neque cogitavit. neque interest deae, ut crimine conscientiae nescio quis solvatur. Immo si quid video, hominis animo vehementius perturbati, et iracundiae incendiis quasi inflammati natura ita fert, ut sui ipsius prope oblitus, quod machinetur, in eo mentem omnesque cogitationes defigat, quodque animo volutaverit scelus nullo adhibito solus perficiat. Est igitur Aiax hoc quoque loco *φρενὸς οἰοβώτας* (Ai. 615.). —

συντυχίαις. O.C. 1501: *σαφὴς μὲν αὐτῶν, ἐμφανὴς δὲ τοῦ ξένου.* Xen. Hier. 9, 9. Soph. Ant. 898. *Schneidew.* ad O.R. 54. Praeterea vide Ai. 666 sq.: *εἰσόμεσθα μὲν θεοῖς εἴκειν, μαθησόμεσθα δ' Ἀτρείδας σέβειν.* quae quam acerbe dicta sint, *Wolffius* recte indicavit. [15]) Tr. 1010. Ant. 1213. cl. Ai. 994. Eur. Heracl. 17. 482. Soph. Tr. 331. (ex *mea* emendatione) Aesch. Ag. 832. *Lobeck.* ad Ai. 1358. —

Transeo nunc ad ipsam verborum similium frequentationem, ac primum quidem ea breviter comprehendam, quae sine ulla coniunctione coacervantur. De his autem trita illa ac pervulgata propono: *αὖθις αὖ* et *πάλιν αὖθις* (O.R. 132. 1232. O.C. 233. 364. Tr. 342. 1088. Fr. 444. 3.). quae quam non sint pro pleonasmis habenda, breviter indicat *Wolff.* ad Ai. 305. De O.C. 1418: *αὖθις αὖ πάλιν*, quae leguntur etiam Ph. 952. cf. *Schneidew.* ad O.C. l. l. et *Piderit* in Ann. ph. Vol. 71. p. 173. cf. *Pflugk.* ad Eur. Heracl. 488. *Jacob.* Qu. Luc. p. 10. — Deinde in omni temporis significatione usitata est quaedam verborum copia. ut O.C. 682: *κατ' ἦμαρ ἀεί.* 688: *αἰὲν ἐπ' ἤματι.* Ph. 797: *ἀεὶ-κατ' ἦμαρ.* Fr. 736. 4: *καθ' ἡμέραν ἀεί.* cf. Eur. Tro. 392. S. Ai. 753: *κατ' ἦμαρ τοὐμφανὲς τὸ νῦν τόδε.* *Heind.* ad Plat. Phaed. §. 54. *Pors.* ad Eur. Ph. 1422. *Schaef.* ad Greg. Cor. p. 169. ad Dem. III. p. 265. *Poppo* ad Thuc. II. 85. 4. *Jacob.* ad Luc. Tox. p. 72. *Bornem.* ad Xen. Conv. p. 186. *Wuestem.* ad Theocr. Epigr. 7, 3. *Lobeck.* Phryn. p. 754. *Doederl.* de *α* int. p. 22. Hom. Gl. §. 476. *Rehdantz.* ad Dem. p. 306. —

Coacervantur porro vocabula animo commoto vel animi commovendi causa, velut Ant. 887: *ἄφετε μόνην ἔρημον.* Ph. 470: *μὴ λίπῃς μ' οὕτω μόνον ἔρημον.* Ant. 917 sq.: *ἄλεκτρον, ἀνυμέναιον, οὔτε τοῦ γάμου μέρος λαχοῦσαν, οὔτε παιδείου τροφῆς*, quae congregat Antigona, dolore cruciata, ut quaecunque ad matrimonium pertineant, iis omnibus sese orbatam esse exprimat. El. 491: *ἄλεκτρ' ἄνυμφα ἁμιλλήματα.* — Ai. 394: *ἰὼ σκότος, ἐμὸν φάος, ἔρεβος ὦ φαεννότατον.* Ant. 108: *φυγάδα, πρόδρομον κινήσασα χαλινῷ.* O.C. 131: *ἀδέρκτως, ἀφώνως, ἀλόγως τὸ τῆς εὐφήμου στόμα φροντίδος ἱέντες*, quae exquisita ubertas summum silentium ac religionem exprimit. Nec minus sapienter electa haec verborum copia O.C. 233: *τῶνδ' ἑδράνων πάλιν ἔκτοπος αὖθις ἄφορμος ἐμᾶς χθονὸς ἔκθορε.* et O.R. 430: *οὐκ εἰς ὄλεθρον; οὐ πάλιν ἄψορρος οἴκων τῶνδ' ἀποστραφεὶς ἄπει;* Exsecrationi autem cum verborum copia consentanea sit, non miraberis Tr. 1039: *τὰν ὧδ' ἐπίδοιμι πεσοῦσαν αὔτως, ὧδ' αὔτως, ὥς μ' ὤλεσεν.* — Nec sine causa Aiax calamitatem suam cum laude ac gloria, qua ante floruerit, comparans haec coacervat Ai. 364:

[15]) Quamquam et *Stobaei* et *Eustathii* testimoniis haec stabiliuntur, audeo tamen scalpellum iis adhibere, etiamsi veritus, ne nimiae arguar a doctis viris audaciae. Ac libere fateor, suspitionem, quam hoc de loco habeam, facile me nec sine voluptate esse depositurum, si quidem redargui mea ac refelli idoneis argumentis intellexerim. Mihi ipsi enim multo potius est conservare quam destruere. Sed quae displiceant mihi, breviter nunc exponam. Verbis *θεοῖς εἴκειν, Ἀτρείδας δὲ σέβειν* ironiam contineri et irrisionem et Eustath. significavit et scholiasta. neque alienam duco hanc ironiam acerbitatemque a moribus ac persona Aiacis. At enim acerbitatis vis diluitur dictique aculei mirum quantum iis obtunduntur, quae ad confirmandum adduntur languide: *ἄρχοντές εἰσιν, ὥσθ' ὑπεικτέον· τί μή;* Quid? cum verecundia Atridas sese posthac prosecuturum esse Aiax acerbe modo dixerit, in confirmando eodem verbo *σέβειν* uti eum nonne necesse est? Cuius loco multo illud infirmius eligit: *ὑπείκειν.* Vides acerbitatem istam sibi non constare, sed extenuari continuo magno opere. Deinde cum numini divino concessurum se modo affirmaverit, Atridas veneraturum, nonne mirum est, illorum quasi oblitum, Atridis concedendum esse (*ἄρχοντές εἰσιν, ὥστ' ὑπεικτέον·*), eundem dicere? Postremo exspectaverim sic conformari sententiam: *εἰσόμεσθα μὲν θεοῖς εἴκειν, μαθησόμεσθα δ' Ἀτρείδας σέβειν· τί μή;* *ἄρχοντές εἰσιν κτλ.* Apparet, opinor, ex his quae exposui, non levem habere haec verba offensionem. Quae nulla erit, ea si sustuleris, quae antiquitus inepte afficta videntur. Dico autem haec: *σέβειν· ἄρχοντές εἰσιν, ὥστ' ὑπεικτέον*, ut haec efficiatur Aiacis oratio:

τοιγὰρ τὸ λοιπὸν εἰσόμεσθα μὲν θεοῖς
εἴκειν, μαθησόμεσθα δ' Ἀτρείδαις· (sc. *εἴκειν*) *τί μή;*
καὶ γὰρ τὰ δεινὰ κτλ. —

ὁρᾷς τὸν θρασύν, τὸν εὐκάρδιον, τὸν ἐν δαΐοις ἄτρεστον μάχαις; cf. v. 205: *ὁ δεινὸς μέγας ὠμοκρατὴς Αἴας θολερῷ κεῖται χειμῶνι νοσήσας*. Quam apte autem coniuncta sint Ai. 219: *χειροδάϊκτα σφάγια-χρηστήρια*, indicavit *Schneidew.* His addo Ai. 896: *οἴχωκ', ὄλωλα, διαπεπόρθημαι*. Ph. 923: *ἀπόλωλα, προδέδομαι*. 981: *ἀπόδος, ἄφες*. 932: *ἀπόδος, ἱκνοῦμαί σ', ἀπόδος, ἱκετεύω*. O.C. 121: *λεῦσσ' αὐτόν, προσδέρκου, προσπεύθου πανταχῇ*. El. 1234: *ἐμόλετ', ἐφεύρετ', ἤλθετ', εἴδετε*. Ph. 930: *τὸν προστρόπαιον, τὸν ἱκέτην*. cf. Ph. 470. O.R. 41. O.C. 1327. — Ph. 744: *δύστηνος ὦ τάλας ἐγώ*. 291: *αὐτὸς ἂν τάλας εἰλυόμην δύστηνος ἐξέλκων πόδα*. Tr. 879: *τάλαιν' ὀλεθρία*. *Τάλας* enim, cum cognatas haberent Graeci pravitatem et infelicitatem, aeque ac *τλήμων* saepenumero significat i. q. *funestus ac nefarius*; cf. Eur. Or. 167. Hipp. 1372. Iph. A. 1165. *Buttm.* ad Ph. 1016. *Erfurdt.* ad O.R. 1175. *Koern.* ad Eur. Andr. 170. *Ilgen.* ad Hom. h. p. 433. *Weber.* ad Dem. in Arist. p. 202 sq. Idem dicendum est de adiectivis *δύστηνος* (cf. *Ruhnk.* Ep. crit. p. 190 sq.), *στυγνός* (Ai. 1210. Hom. Od. 9. 454.). *στυγερός* (El. 92. Ph. 1120: *στυγερὰν ἔχε δύσποτμον ἀράν*. *Herm.* ad Ph. 166.). *μέλεος* (Ai. 621.). Congregantur etiam similia, ut alterum altero amplificetur. ut in interrogando Tr. 707: *πόθεν γὰρ ἀντὶ τοῦ*; El. 958: *ποῖ εἰς τίν' ἐλπίδων βλέψασα*: cf. Eur. Hel. 1627: *ποῖ σὸν πόδ' αἴρεις, εἰς ποῖον φόνον*; Idem cadit in *ἑκὼν αὐτός* Ph. 1332., et in *ἕν' οἰόζωνον* O.R. 846., quibuscum conferre licet, quae solent coniungi *εἷς μόνος* Ant. 705. O.R. 62. Eur. El. 285. Ar. Equ. 140. *Schaef.* Mel. crit. p. 19. *Stallb.* ad Plat. Symp. p. 184. C. — Porro cf. Ant. 1295: *ἄλλο δεύτερον κακόν*· cf. Eur. Tr. 618. Hdt. I. 197. *Weber.* ad Dem. in Arist. p. 276; uti iuncta leguntur apud Eur. Or. 345: *οἶκον ἄλλον ἕτερον*. Suppl. 573. Arist. Fr. 313, 4. Ammon. p. 61. *Herm.* ad Vig. p. 722. *Stallb.* ad Plat. Legg. VI. p. 780. D. Neque aliter res se habet in his: Ant. 1333: *μηκέτ' ἆμαρ ἄλλ' εἰσίδω*. Ph. 1133: *οὐκέτι-τὸ μεθύστερον*. cf. *Doederl.* voc. Hom. etym. p. 10. Ph. 1104: *ὕστερον-εἰσοπίσω*. Corrupta autem sunt, quae leguntur Tr. 80: *ἢ τοῦτον ἄρας ἆθλον, εἰς τὸν ὕστερον τὸν λοιπὸν ἤδη βίοτον εὐαίων' ἔχειν*, quae minus commode Meinekius l. l. p. 30. nuper correxit, probabiliter vero emendavit Nauckius (Eur. Stud. I. p. 73 sq.*); cf. Bernh. Gr. Litt. II. 2. p. 343.[16] — Neque incertum est, quid poeta spectaverit Ant. 1: *ὦ κοινὸν αὐτάδελφον-κάρα*· quod exposuit *Helmke* (Mittheil. über die ersten Verse der Ant. Emmerich. 1837. p. 2.), qui adiectivo *κοινός* communionem malorum describi recte dicit. Non cogitandum autem est de communi sepulturae officio, quod exprimi olim putabat *Eckermann.* Comm. Gedan. fasc. I. p. 33; huius enim rei post demum mentio iniicitur: quod tamen commune pietatis officium eodem describitur vocabulo El. 463: *ὑπούργησον τάδε κοινῷ πατρί*. — Quod denique O.C. 711. Athenarum praedicavit *αὔχημα εὔιππον, εὔπωλον*, non eo consilio duo poeta copulavit, ut idem bis cum gravitate diceret, sed proprii Atheniensium studii memor, eisque uti saepe facere solet gratificatus. Tametsi enim haud raro *ἵππος* et *πῶλος* sine ullo significationis discrimine usurpantur, ut El. 706. cl. 725. 735. cl. 744. Eur. Hipp. 1131 sq. Rhes. 567. cl. 569. 798: *ὄχημα πωλικὸν ἵππων*. Simm. ap. Heph. p. 75. ed. Gaisf., hoc tamen constat inter ea intercedere dis-

[16] Delabor hinc ad locum illum Tr. 911, multis difficultatibus obstructum:

αὐτὴ τὸν αὑτῆς δαίμον' ἀνακαλουμένη,
καὶ τὰς ἄπαιδας ἐς τὸ λοιπὸν οὐσίας.

De quo loco ut breviter dicam quid sentiam, *Hertelius* l. l. p. 18 sq. recte statuisse videtur, Deianiram et suum invocare et domus *δαίμονα*; quodque *Kayser.* (Ann. ph. Vol. 71. p. 239.) proposuit: *ἑστίας*, idem ipse conieci. pro *ΑΠΑΙΔΑΣ* vero, cum de orbitate nemo sanus possit hoc loco cogitare, scripserim *ΑΡΑΙΑΣ*, ut haec exstet sententia:

καὶ τῆς ἀραίας ἐς τὸ λοιπὸν ἑστίας·

cf. *Naegelsb.* Nachhom. Theol. p. 113. —

criminis, ut *πῶλος* pullum equinum, *ἵππος* equum adultum significet, ad certamina omnemque vitae usum idoneum: cf. Theocr. 2. 48., quod patet etiam ex translata vocis illius potestate, de qua cf. *Monk.* ad Eur. Hipp. 548. *Seidl.* ad Tro. 553. *Unger.* Par. Theb. I. p. 398. Iam vero Athenienses *φιλοτιμότατοι* illi (Xen. Mem. III. 5. 3.) equorum amantissimi in eorum cultum studiosissime incumbebant, quaeque locorum iniquitas negabat, singulari cura atque arte studebant compensare: cf. Arist. Nub. 15. Isocr. Areop. 17, 45. *Boeckh.* Staatsh. d. Ath. I. 80. Quare hanc ipsam laudem praedicabant poetae, ut *Cratin.* ap. Porph. Qu. Hom. 8. p. 229., qui *Μαραθῶνα* dicit *εὐιπποτάτην*. Atque idem Sophoclis est consilium. *Εὔπωλος* enim ad studium referendum est Atheniensium, *domandi* equos nobilisque propaginis, cum natura caeli esset adversa, arte alendae, *εὔιπποι* vero Athenienses appellantur ut florentes equis ad certamina bene formatis, equestrique arte nobiles: *εὔιπποι* enim vocari solent equitandi periti. cf. *Dissen.* ad Pind. Ol. III. 39. —

Reliquum est, ut de iis exponam vocabulis, quae coniunctione quadam copulantur, de quibus ea primum afferam exempla, ubi bis eadem fere notio ponderis causa effertur. Velut Ai. 139: *ὄκνον ἔχω καὶ πεφόβημαι* cl. *Stallb.* ad Plat. Legg. X. p. 886. A. O.C. 546: *ἐφόνευσα καὶ ὤλεσα*, quae apte illustrat *Doederlin.* p. 366. — El. 804: *ἆρ' ὑμὶν ὡς ἀλγοῦσα κὠδυνωμένη δεινῶς δακρῦσαι κἀπικωκῦσαι δοκεῖ*: Ant. 250: *στύφλος δὲ γῆ καὶ χέρσος κτλ.*, quae egregie conveniunt custodis loquacitati, qui item quadam iactatione verborum loquitur Ant. 223: *ἀρ' ἔνδηλα καὶ σαφῆ λέγω*: — Non ferendum tamen foret Ai. 224: *ἄτλατον οὐδὲ φερτάν*, quam cod. Pal. scripturam non debebat *Hartung.* commendare;[17] ex iis enim, quae sequuntur, non intolerabilem tantum facile patet significari

[17] Quod hoc loco refutandum, id restituendum videtur esse Trach. 1047: *ὦ πολλὰ δὴ καὶ θερμὰ καὶ λόγῳ κακὰ καὶ χερσὶ καὶ νώτοισι μοχθήσας ἐγώ*. Quae cum *Cicero* Tusc. II, 8. convertat: *o multa dictu gravia, perpessu aspera*, *θερμά* certe non legisse videtur; hoc enim nihil significat nisi *θρασύς*, idque hoc loco ineptum. Scribendum potius pro: *ΚΑΙΘΕΡΜΑΚΑΙΛΟΓΩΙΚακά*

sic: *ΚΑΦΕΡΤΑΚΑΛΟΓΩ κακά*, h. e. *κἄφερτα κἄλογ' ὦ κακά*. Illa autem voce *Aesch.* identidem usus est, ut Ag. 370. 378. Eum. 149: *ἐπάθομεν πάθος δυσαχές, ὦ πόποι, ἄφερτον κακόν*. De interiectione iterata cf. *Ellendt.* L. S. II. p. 985 sq. Idem igitur Hercules dicit, quod est apud Euripidem Hipp. 846: *οὐ τλητὸν οὐδὲ ῥητόν*· et v. 875: *οὐ τλητὸν οὐδὲ λεκτόν*. Difficilius vero est de versu insequente iudicare, quem vertit Cicero: *quae corpore exanclata atque animo pertuli*. Animi enim mentionem cum desiderarent viri docti, alii aliud eruerunt. Sed mitto has coniecturas, quae probari nequeunt. Iam vero sic statuerit quispiam, Ciceronem *χερσὶ καὶ νώτοισι* ad corporis retulisse labores exanclatos, vim verbi *μοχθήσας* autem ut exprimeret addidisse: animo pertuli. Quam non spernerem interpretationem, si Cicero scripsisset: exanclavi, non: exanclata. Nunc vero residet in me dubitationis aliquid, quae ne eorum quidem comparatione tollitur, quae Hercules v. 1089 sqq. conqueritur. Immo fieri facile potuit, ut *χεῖρες* illinc perperam ascitae vocem exturbarent, quam hoc loco Cicero legit. Quid multa? Fortasse scripsit poeta: *κἀν κρατὶ κἀν νώτοισι*, cf. O.C. 564: *ἤθλησα κινδυνεύματ' ἐν τὠμῷ κάρᾳ*. *Κρατί* autem nescio an citius potuerit Cicero „animo" reddere. — Hoc vero constat, Ciceronem, cum ad verbum fere Sophoclea expresserit, in totius Herculis orationis interpretatione ducem habendum esse haud contemnendum, ut quae apud eum non inveniantur, ea num sint ab ipso Sophocle profecta, merito subdubites. Quae quidem reputanti suspitio nata mihi est de v. 1068 sq.: *ὡς εἰδῶ σάφα, εἰ τοὐμὸν ἀλγεῖς μᾶλλον ἢ κείνης ὁρῶν λωβητὸν εἶδος κἀν δίκῃ κακούμενον* (sic enim scholiastae auctoritati obsecutus olim emendavi; cf. *de ubert. Soph. I. p.* 19.), quae verba non adducor ut *„quatuor versibus in duos contractis"* Ciceronem his credam reddidisse: *iam cernam, mene an illam potiorem putes*. Horum enim nihil admodum apud Sophoclem legitur, ubi de dolore filii, quaeque ipse uxori illo praesente facere cogitet, Hercules humanitatis nimis sane expers dicit. Qua de causa versum 1069., quem Nauckius quoque suspectum habet, subditivum duco, eumque ante scholiastae iam aetatem in Herculis orationem propterea fortasse infusum, quod obliterata ac depravata quae v. 1068. legebantur, egere videbantur quodam additamento, quo, quae inchoata essent et imperfecta, explerentur atque absolverentur. Corrupta autem antiquitus existimo *ἀλγεῖς* et *κείνης ὁρῶν*, quae cum perperam irrepsissent, ipsum *τοὐμόν* substantivo suo carere non posse videbatur. Sed ne multa: in *ΚΕΙΝΗΣΟΡΩΝ* latet: *ΚΕΙΝΗΝΣΕΒΩΝ* aut *ΣΕΒΕΙΝ*, in *ΤΟΥΜΟΝΑΛΓΕΙΣ* autem: *ΤΟΥΜΟΝΕΙΣΥ (τοὐμὸν εἶ σύ)*, aut quod a librorum scriptura propius abest: *ΤΟΥΜΟΝΑΙΡΕΙ*. Itaque Cicerone auctore scribendum est:

εἰ τοὐμὸν εἶ σὺ μᾶλλον ἢ κείνην σέβων·

vel potius · *εἰ τοὐμὸν αἱρεῖ μᾶλλον ἢ κείνην σέβειν*.

De voce *τοὐμόν* cf. Eur. Hel. 893: *ὅπως ἂν τοὐμὸν ἀσφαλῶς ἔχῃ*. Iph. A. 483: *οὐ γὰρ ἔνδικον, σὲ μὲν στενάζειν, τἀμὰ δ' ἡδέως ἔχειν*. Andr. 235: *ὡς δὴ σὺ σώφρων, τἀμὰ δ' οὐχὶ σώφρονα*. Or. 296: *ὅταν δὲ τἄμ' ἀθυμήσαντ' ἴδῃς, σύ κτλ.* Ib. 1088. Iph. T. 1057. Andr. 1186. Med. 346. Alc. 566. *Stallbaum.* ad Plat. Legg. IV. p. 723. B.; sed plura afferre nolo, quorum copia suppetit. Quantum profecerim, aliorum sit iudicium. —

nuncium, sed eum, qui libere sermonibus divulgetur ac permanet ad aures omnium, ut, quod breviter indicatum voce φευκτάν est, copiosius idem his explicetur: τῶν μεγάλων Δαναῶν ὕπο κληζομέναν κτλ. — Porro cf. El. 131: οἶδά τε καὶ ξυνίημι τάδ᾽, οὔ τί με φυγγάνει, quae imprimis ita comparata sunt, ut Electrae incitatus animus cognoscatur; tanquam ad id enim, quod sentiat quoque vehementius commoveatur, exprimendum copia verborum satis sit nulla, quod affirmavit graviter coniunctis: οἶδά τε καὶ ξυνίημι, ut in hac una cogitatione defixa iterum ac firmius asseverat: οὔ τί με φυγγάνει. Ac solent certius aliquid affirmaturae ap. Soph. personae copioso hoc sermonis genere delectari: cf. El. 222: ἔξοιδ᾽, οὐ λάθει μ᾽ ὀργά. Ph. 205: βάλλει μ᾽ ἐτύμα φθογγά του-οὐδέ με λάθει βαρεῖα τηλόθεν αὐδὰ τρυσάνωρ· διάσημα γὰρ θροεῖ. O.R. 58. — Ai. 176: ἀμήχανον δὲ παντὸς ἀνδρὸς ἐκμαθεῖν ψυχήν τε καὶ φρόνημα καὶ γνώμην, quae vocabula aliquantum sane inter se differunt; cf. *Lübker*. Soph. Theol. u. Eth. p. 10 sqq. Eur. Alc. 108. — Ai. 415: πολὺν δαρόν τε χρόνον. Fr. 583, 4: ἐν βραχεῖ κὠλίγῳ χρόνῳ. In tempore enim definiendo veteres copiose loquuntur; cf. *Dissen*. ad Dem. de cor. p. 204. Idem solet fieri in iis, quae de morte vitaeque fortuna dicuntur; cf. Eur. Alc. 18: θανεῖν πρὸ κείνου μηδ᾽ ἔτ᾽ εἰσορᾶν φάος. Rhes. 967: ὡς θανών τε κοὐ λεύσσων φάος. Alc. 291 sq.: καλῶς μὲν αὐτοῖς ἀμπλακεῖν ἧκον βίου, καλῶς δὲ σῶσαι παῖδα κεὐκλεῶς θανεῖν. Explicandi enim causa adscriptum κατθανεῖν v. 291, illud quod conieci videtur exegisse. Hel. 1666: ὅταν δὲ κάμψῃς καὶ τελευτήσῃς βίον (cf. *Monk*. ad Hipp. 86.) Nonn. Dion. 40, 129. 46, 260: οἰχομένοιο καὶ ὀλλυμένου. Itaque desperans de salute sua Hercules Trach. 1143 sq.: οἴχομαι, inquit, τάλας· ὄλωλ᾽, ὄλωλα. φέγγος οὐκ ἔτ᾽ ἔστ᾽ ἰδεῖν. Hac enim emendatione egere locus videtur, cum neque φέγγος ad salutem vitae transferri soleat, et ob ea, quae adiuncta sunt, vitae lucem exstinctam Herculem dicere, admodum veri simile sit. Hoc autem exprimi iis, quae in libris legantur: φέγγος οὐκ ἔτ᾽ ἔστι μοι, recte *Nauckius* negavit. — Sed huius, quam modo dixi, veterum consuetudinis excusationem non habent, quae leguntur Fragm. 583, 2 sq.: πρὶν αὐτῷ παντελῶς ἤδη βίος διεκπερανθῇ καὶ τελευτήσῃ βίον, cui putide oneratae sententiae ita studebat *Blomfield*. subvenire, ut pro βίος scriberet χρόνος, quam coniecturam probat *Nauck. Obs. critt. p.* 25. (Item Eur. Alc. 243. scripserim: ἀβίωτον τὸν ἔπειτα βίον βιοτεύσει, pro χρόνον). Neque vero displicet, quod *Bergk*. proposuit: πότμος, cf. *Porson*. ad Eur. Hec. 1252. Fragm. Adesp. 367, 2. Longe tamen praestare mihi videtur haec coniectura, qua ex ΗΔΗΒΙΟΣ eruo: ΗΔΗΤΡΙΒΟΣ h. e. ἤδη τρίβος· cf. Anacr. 24, 2: βιότου τρίβον ὁδεύειν. Del. Epigr. ed. *Jacobs*. VII, 44, 1: ποίην τις βιότοιο τάμοι τρίβον. 45, 1: παντοίην βιότοιο τάμοις τρίβον. Eur. Herc. f. 434: ἐπιμένει πλάτα βίου κέλευθον. Isocr. ad Dem. §. 5: ὅσοι γὰρ τοῦ βίου ταύτην τὴν ὁδὸν ἐπορεύθησαν. *Moebius* ad Anacr. l. l. Ac similiter *Euripides* Fragm. 757, 8. de vitae cursu perficiendo διεκπερᾶν dicit; cf. Iph. A. 18. Herc. f. 428. — Idem autem vocabulum τρίβος non inepte scripseris Aesch. Ag. 444: τυχηρὸν ὄντ᾽ - παλιντυχεῖ τρίβῳ βίου. — Ac videtur hoc in libris saepius voce βίος temere commutatum esse, quod quidem nescio an etiam O.C. 1551: ἤδη γὰρ ἕρπω τὸν τελευταῖον βίον κρύφων παρ᾽ Ἅιδην· acciderit. Recte enim *Martin*. l. l. p. 32. existimavit, propter sedem articuli prolepsin adiectivi statui vix posse. Quod coniecit autem vir doctissimus: τόνδε δείλαιον βίον, non arridet mihi; praestaret certe, nisi me fallit, τὸν ταλαίπωρον βίον, cl. O.C. 91. Sed ne hoc quidem probabile duco: videtur ad verbum ἕρπω multo accommodatius esse vocabulum τρίβος, cf. Ant. 1213: δυστυχεστάτην κέλευθον ἕρπω. Ph. 1222: παλίντροπος κέλευθον ἕρπεις. Ai. 287: ἐξόδους ἕρπειν κενάς. Quibus addo Tr. 874 sq.: βέβηκε Δηάνειρα τὴν πανυστάτην ὁδῶν ἁπασῶν. Ant. 808: ὁρᾶτέ μ᾽ - τὰν νεάταν ὁδὸν στείχουσαν. cl. 878. Eur. Alc. 610: προσείπατ᾽ ἐξιοῦσαν ὑστάτην ὁδόν. Hor. Carm. II, 17, 11: supremum carpere iter. Itaque *Musgravius* coniecit: τὴν τελευταίαν, quae coniectura *Martino* non displicet, neque ego dixerim eam inelegantem. Sed probabilior videtur esse, quam modo indicavi, emendatio: ἕρπω τὸν τελευταῖον τρίβον, κρύφων παρ᾽ Ἅιδῃ μ᾽· ἀλλά κτλ. Nihil enim offensionis habet masculinum genus vocis τρίβος, cf. Plut. Arat. 22. Eur. El. 103: ἔξω τρίβου τοῦδ᾽ ἴχνος ἀλλαξώμεθα. Or. 1258: ἐγὼ μὲν οὖν τρίβον τόνδ᾽ ἐκφυλάξω κτλ. *Eust. ad Il.* I. 173. p. 74, 2: πολλὴ δὲ καὶ ἐν ἄλλοις ἡ διφόρησις, ὡς καὶ ἡ νείκη δηλοῖ καὶ τὸ νεῖκος, καὶ ἡ δίψα καὶ τὸ δίψος, καὶ ἡ βλάβη καὶ τὸ βλάβος· ἔτι δὲ καὶ ἡ τρίβος καὶ ὁ τρίβος, ὡς Εὐριπίδης γράφει. — Sed haec quidem hactenus. Pergo ad alia ubertatis exempla. Atque eandem, in qua versamur, redundantiam *Sintenis* laboravit ut coniectura poetae tribueret Ai. 496: ἢ γὰρ θάνῃς σὺ καὶ τελευτήσας φανῇς, quae recte hodie repudiatur. Quod in libris autem legitur: ἀφῇς, quo modo aut explicarent aut emendarent, cum multi iam viri docti sudaverint laborantes, periculosum videtur esse ac lubricum, coniectura denuo experiri, quantum proficiatur. Nec reticebo tamen, quod mihi occurrit, quamquam non nescius equidem, plures fortasse in eo fastidire; puto enim, non male scribi: καὶ τελευτήσας ἀπῇς, h. e. *si mortuus procul sis futurus*; ἀπεῖναι autem contrarium praesentiae τοῦ παρόντος facit ut desertam se ac derelictam ab Aiace Tecmessa dicat; cf. Eur. El. 245: ἀπὼν ἐκεῖνος, οὐ παρὼν ἡμῖν φίλος. Ib. 331: ἆρά σοι τύμβῳ καλῶς παρὼν ἀμύνει; τοῦτ᾽ ἀπὼν ὑβρίζεται. Nec raro ἀπεῖναι, qui e vita excesserunt, dicuntur, ut Eur. Hec. 312: οὔκουν τόδ᾽ αἰσχρόν, εἰ βλέποντι μὲν φίλῳ χρώμεσθ᾽, ἐπεὶ δ᾽ ἄπεστι, μὴ χρώμεσθ᾽ ἔτι; Iph. T. 62: νῦν οὖν ἀδελφῷ βούλομαι δοῦναι χοὰς παροῦσ᾽ ἀπόντι, ubi παροῦσα, quod fuerunt qui corrigendum ducerent, recte se habet; cf. *de ub. I. p.* 14. Neque aliter φροῦδος usurpatur, cf. Soph. Ph. 425. *Pflugk*. ad Eur. Hec. 162. — Restat ex hoc genere alter locus, qui redundantia oneratus aperte est, Sophocle illa quidem indignissima. Inveniuntur enim in reliquiis eius fabularum Fr. Acris. 61. haec: ῥῆσις βραχεῖα τοῖς φρονοῦσι σώφρονα πρὸς τοὺς τεκόντας καὶ φυτεύσαντας πρέπει, in quibus defendendis *Ellendt*. L. S. II. p. 815. operam perdidit. Nec tuetur hunc tumorem Euripidis illud Suppl. 1092: ὅστις φυτεύσας καὶ νεανίαν τεκὼν ἄριστον εἶτα τοῦδε νῦν στερίσκομαι, cum, quod participio φυτεύσας universe hic significatum est, definiatur accuratius verbis consequentibus. Patrocinio vero videntur esse, quos supra p. 21. attuli similes locos: Aesch. Cho. 325. et Eur. Herc. f. 1367. At Sophoclem vereor existimare ineptum. Nec tamen multum profecit *Meinekius* coniectura sua: κἀναθρέψαντας· hoc enim et languidum hoc loco est, nec commendatur literarum similitudine. In fragmentorum quidem maculis quamquam non ignoro, admodum lubricum esse et incertum iudicium, videtur tamen esse haec emendatio probabilior:

πρὸς τοὺς γέροντας καὶ φυτεύσαντας πρέπει. —

Deinde consociantur vocabula saepissime, quorum unum est translatum, proprium alterum, quae ubertas notat et illuminat orationem. Cf. *Rehdantz*. ad Dem. **X**. 9. Velut Ph. 978: πέπραμαι κἀπόλωλα. cf. Ai. 896. O.R. 1351: ἔρυτο κἀνέσωσεν. O.C. 285: ῥύου με κἀκφύλασσε. cf. Ph. 766: σῷζε καὶ φύλασσε. Tr. 869: ἀηδὴς καὶ συνωφρυωμένη, ut Eur. Alc. 777: στυγνῷ προσώπῳ καὶ συνωφρυωμένῳ. cf. *Wund*. ad Tr. l. l. — Ant. 1268: ἔθανες κἀπελύθης. cf. *Wund*. ad Ant. 1292. — Ai. 274: ἔληξε κἀνέπνευσε τῆς νόσου, quibuscum contulerim Ph 878: τοῦδε τοῦ κακοῦ δοκεῖ λήθη τις εἶναι κἀνάπαυλα

δή, τέκνον. Vereor enim, ne vitio haec vetere laborent: offendo autem aliquid in coniunctis substantivis, quae sive ad Philoctetam retuleris sive ad morbum, vix commode videntur consociari posse. Nam neque Philoctetes recte dicit, sese videri oblivisci morbum ac levari, cum aut obliviscatur aut non obliviscatur, neque morbi satis intelligo oblivionem, nisi vero eam ducis, qua remittens ille nec pungens ac stimulans semet ipse quasi obruat. Quam interpretationem etsi non refuto penitus, argutior tamen mihi videtur quam probabilior esse: simplicius certe enucleatur vis sententiae, si quidem vocabulum consimile vocis *ἀνάπαυλα* posueris, idque invenisse mihi videor: suspicor enim

pro: *ΛΗΘΗΤΙC*

scribendum esse: *ΛΩΦΗCIC* h. e. *λώφησις*, quod legitur apud Thuc. IV. 81: *τοῦ πολέμου ἀπὸ τῆς Πελοποννήσου λώφησιν.* cf. *Hesych.* *λώφησις· ἀνάπαυσις.* De verbo *λωφῆσαι* autem, quod *Hesych.* interpretatur: *παῦσαι, λῆξαι, ἀναπαῦσαι* (sic! emenda: *ἀναπνεῦσαι.*), *ἡσυχάσαι*, cf. Ai. 61. Plat. Legg. IX. p. 854. C.: *ἐὰν-λωφᾷ τι τὸ νόσημα.* Thuc. VI, 12: *νεωστὶ ἀπὸ νόσου μεγάλης καὶ πολέμου βραχύ τι λελωφήκαμεν.* Aesch. Prom. 378. 655. — Verum ad institutam disputationem revertamur. Atque cum *βλέπειν* Graeci dicere soleant pro *ζῆν* (cf. *Schol.* Eur. Tro. 634. *Monk.* ad Eur. Alc. 144. *Pflugk.* ad Hec. 311. *Wunder.* ad Ai. 935. *Wex.* ad Ant. 595.) itemque *δεδορκότες* pro viventibus, ut Aesch. Eum. 320: *ἀλαοῖσι καὶ δεδορκόσιν.* haec consociant nonnunquam, ut Hom. Od. 4, 540: *ζώειν καὶ ὁρᾶν φάος ἠελίοιο.* Il. 1, 88: *ζῶντος καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο.* Aesch. Pers. 294: *ζῇ τε καὶ βλέπει φάος.* Eur. Heracl. 969: *μὴ ζῆν μηδ' ὁρᾶν φάος τόδε.* El. 349: *ἀνὴρ ἔστι καὶ λεύσσει φάος.* cl. Alc. 81: *ζῶσ' ἔτι φάος λεύσσει.* Ion. 853: *ζῶν τε φέγγος εἰσορᾶν.* Hel. 531. cf. *Jacob.* Qu. Luc. p. 20. *Dissen.* ad Dem. de cor. §. 72. p. 239. *Lobeck.* ad Ai. p. 137. Caret his Sophoclea oratio, translatio autem ad rem perquam accommodata legitur Tr. 1169: *χρόνῳ τῷ ζῶντι καὶ παρόντι νῦν*, de qua cf. *Schneidew.* ad h. l., coniunxitque poeta Ph. 883: *ἀνώδυνον βλέποντα κἀμπνέοντ' ἔτι*, quam verborum copiam laetitia effundit animi: nec idem valent duo haec verba, quamquam Ai. 416: *ἀμπνοὰς ἔχειν* nihil sonat nisi *vivere*; cf. *Wund.* ad Ph. l. l. Accedit quod, qui ipse v. 867. *φέγγος* et *ἐλπίδων ἄπιστον οἰκούρημα ξένων* recreatus appellavit, eundem Neoptolemus „*εἰσιδὼν παρ' ἐλπίδα*“ *βλέποντα* convenienter vocat. — Denique cum mirum quantum in Aiace potissimum et Philocteta Homeri poeta delectetur imitatione, hinc mutuatus est Ai. 710: *θοᾶν ὠκυάλων νεῶν*, cf. *Doed.* Gloss. §. 180. *Lobeck.* ad Ai. p. 328., et Ai. 249: *θοὸν εἰρεσίας ζυγὸν ἑζόμενον ποντοπόρῳ ναῒ μεθεῖναι.* cf. Eur. Hec. 446. —

Tertius locus in enumeratione eorum versabitur locorum, ubi vocabula ita coacervata sunt, ut alterum altero definiatur et amplificetur. Ac primum quidem in hoc genere referenda ea sunt, quae proxime absunt a figura quam dicunt *ἓν διὰ δυοῖν*, qua figura multi perperam abusi sunt. Coniunguntur enim duo vocabula ita saepius, ut quod accedit, non ita ponderis causa adiiciatur, sed ut prius eo explicetur et quasi compleatur: ut Ai. 145: *βοτὰ καὶ λείαν*, quae non significare duo diversa pecudum genera recte **Lobeckius** dicit. Idem cadit in Ai. 1061: *πρὸς μῆλα καὶ ποίμνας.* Acute autem **Jacobs.** poetae consilium perspexit, quo *μῆλα* potissimum appellantem fecerit Menelaum. — Porro v. O.R. 470: *πυρὶ καὶ στεροπαῖς.* Tr. 990: *σκεδάσαι ἀπὸ κρατὸς βλεφάρων θ' ὕπνον.* cf. *Pflugk.* ad Eur. Herc. f. 119. — Ai. 814: *τάχος γὰρ ἔργου καὶ ποδῶν ἅμ' ἕψεται.* cf. O.C. 1297: *εἰς ἔλεγχον χειρὸς οὐδ' ἔργου.* El. 689. Similiter verba usurpantur Ant. 9: *ἔχεις τι κεἰσήκουσας* h. e. *εἰσακούσας ἔχεις* (cf. O.C. 290.

O.R. 105. Ph. 682. Eur. Heracl. 92.); O.C. 435: *τὸ κατθανεῖν καὶ τὸ λευσθῆναι πέτροις.*[18] Eodem refero Ai. 288: *κἀγὼ ἐπιπλήσσω καὶ λέγω*, i. e. increpans dico: quamquam legenti mihi haec ac relegenti accidit nescio quo pacto, ut alienam habeam invectionem istam a persona Tecmessae, quippe quam „*ἅτε δὴ γυναῖκα οὖσαν καὶ αἰχμάλωτον*“ (Schol. ad Ai. 330.) modestius deceat appellare Aiacem. Quocirca nescio an melius ipsi conveniat: *κἀγὼ κικλήσκω καὶ λέγω.* h. e. vociferata dico.[19]

Deinde amplificandi causa pronomen nomenque appositum particulis quodam modo dirimuntur, ut quae singularia facinora, virtutes, vitia, calamitates memorentur, ea tanquam ipsa persona graviora magis exstent atque emineant, altiusque eorum mentio in audientium animos quasi penetret: cf. *Lobeck.* ad Ai. 1147. *Rehd.* ad Dem. I. 3. p. 64. *Bernh.* Synt. p. 49. Quod ubertatis genus item prudenter Sophocles usurpavit, ut Ph. 1378: *πρὸς τοὺς μὲν οὖν σε τήνδε τ' ἔμπυον βάσιν παύσοντας ἄλγους κἀποσώσοντας νόσου.* ubi quae de saevo morbo eoque sanando magis definite Neoptolemus dicit, maxime ea idonea sunt ad Philoctetae animum flectendum. Rursus Creontis illud Ant. 573: *ἄγαν γε λυπεῖς καὶ σὺ καὶ τὸ σὸν λέχος*, h. e. *tu cum tuis nuptiis*, plurimum habet acerbitatis, quae addito pronomine *σόν* augetur non minime.[20] Atque ad omnes omnino animi motus vehementiores depingendos haec orationis forma maxime accommodata est; cf. Ai. 1147: *οὕτω δὲ καὶ σὲ καὶ τὸ σὸν λάβρον στόμα-χειμὼν κατασβέσειε τὴν πολλὴν βοήν.* quae

18) Haud aliter haec explicanda sunt: *Aesch. Sept.* 213: *σφάγια καὶ χρηστήρια.* *Eur. Iph. T.* 243: *πρόσφαγμα καὶ θυτήριον*, *Alc.* 21: *θανεῖν πέπρωται καὶ μεταστῆναι βίου.* *Rhes.* 205: *πρέπουσαν ἔργῳ κλωπικοῖς τε βήμασιν.* *Theocr. Id.* 7, 57: *τὰ κύματα τάν τε θάλασσαν.* *Verg. Georg.* IV, 481: domus atque intima Leti Tartara. *Aen.* I. 27: Iudicium Paridis spretaeque iniuria formae. III, 12: Penatibus et magnis dis. VIII. 617: deae donis et tanto laetus honore. IX, 11: Lydorumque manum collectosque armat agrestes. *Ovid. Met.* I, 171: ad magni tecta Tonantis regalemque domum; VIII, 158: multiplicique domo caecisque includere tectis; 488: fraterni manes animaeque recentes: 628: locum requiemque petentes; 714: annis aevoque soluti; IX, 15: famamque laborum et superata — iussa novercae; *Caes. b. g.* III, 5: malacia ac tranquillitas; VI. 15: ambactos clientesque; *Cic. in Cat.* I, 2, 4: mors ac reipublicae poena; *p. Sulla* 10, 31: poenam mortemque lugere; *de imp. Cn. Pomp.* 12, 35: legatos deprecatoresque; *de N. D.* I. 15, 39: ignem – et – aethera; cf. Schmid. ad Hor. Ep. II, 1, 37. Kritz. ad Sall. Cat. 4, 2. Halm. ad Cic. p. Sulla p. 52. (ed. m.), p. R. Am. 3, 8. Seyff. ad Lael. p. 151. Kraner. ad Caes. b. g. I. 31. Haase. ad Reisig. schol. gr. Lat. p. 659 sq. et p. 414. —

19) Idem verbum fortasse restituendum *Fr. Adesp.* 88, 4: *τά τ' ἄλλ', ὅσ' ἡμεῖς ὀνόμασιν κικλήσκομεν*, pro eo, quod inepte legitur: *γιγνώσκομεν.* cf. Plat. Apol. p. 21. C. *Klotz.* Qu. crit. p. 105. Aut scribendum est, quod probabilius duco: *ὄμμασιν γιγνώσκομεν.*

